

AB  
36  $\frac{14}{K,29}$






~~Miss. 111~~


00 Ale

U. o. 101











2

DISPUTATIO  
DE  
IVRE DIVOR-  
TII, QVOD MARI-  
TVS HABET PROPRIVM  
ET PECVLIARE ADVL-  
terij caussa:


*IN QVA OMNIA, QVÆ AD HANC  
materiam referri possunt, dilucidè, copiose, & per-  
spicue explicantur, exemplis illustrantur, & au-  
thoritatibus Sacrae Scripturae, Iurisq; Canonici,  
& Ciuilis, comprobantur, &  
confirmantur.*

AVTHORE

Magnifico ac Nobili I C. Liborio à  
Bodenstain.

LIBELLVS TAM THEOLOGIS, QVAM  
Iurisconsultis, ob egregiam quam continet doctrinam  
perutilis, ac propè necessarius, nunc primùm  
in lucem editus.

M. D



C I.

FRANCOFVRTI,

*Sumptibus Haredum Romani Beati.*



OPUSCULO

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI

DE  
VIRI  
MARI







# DISPUTATIO

## DE IVRE DIVORTII,

QUOD MARITVS HABET PRO-  
prium & peculiare adulterij  
caussa.

**Q**VÆSTIONES perdifficiles in-  
ter Theologos peperit adul-  
terij crimē: idq; adeò quia nō  
satis expendūtq; amplius gra-  
uiusq; crimē in alieneꝝ vxoris cōstupratione  
ineſt quā in cōgreſſu cū ea quę nulli devin-  
cta eſt viro. Flagitioſa quidem vtrobiquē  
libido eſt, ſed longe diſpar eſt animaduer-  
ſio. Et quū nullum ſit flagitium, quod non  
adferat perniciē humano generi, iſto non  
tantūm priuatorum domus euertuntur,  
ſed totæ Reſpublicæ etiam cōcutiuntur, &  
penitūſ delentur. Inter grauiffima peccata,  
in ſacris literis adulteria recensentur: pro-  
pter quæ diuina vltio in populos incredu-  
los & imperia deſeuire ſolet. Et quam Deus  
in electis ſuis illud ſeuerè puniat, vnus Da-  
uid omnibus ſeculis exemplo iam olim fuit  
& futurus eſt. Ad pluralitatem vxorum &

A 2

nume-



numerum cōcubinarum Deus olim filuit, qui vnus Vriæ vxorem à Dauide violatam seuerissimè puniuit. Non enim gladius ( vt *2. Reg. cap. 12.* à Propheta ei prædictum fuerat ) ab eius familia vnquam recessit. Ipse adhuc in viuis existens paricidia & cædes natorum vidit. *2. Reg. c. 13.* Amnonem in conuiuio fratrum obtruncavit Absalon: qui & ipse vitæ regnoque patris post factus infidiator, in ipso conatu miserè periit. *2. Reg. ca-pit. 18.* Adonias dum regnum fratris sui Salomonis intercipere molitur illius in-*3. Reg. c. 2.* itia suo sanguine commaculauit. Et ab illo tēpore, per omnes ætates, quādiu Dauidicę stirpis durauit memoria, factæ cædes in ea narrantur. Omnes historię & poetarum fabulę, tragicorum exemplorū sunt plenæ: quibus viri sapientes grauissimis pœnis incestus & adulteria diuinitus puniri, persuasum esse populo voluerunt.

Omniū gentium legibus adulteria damnantur. Sunt qui in Codice legē Iuliam de adulteriis, subiici putant legi maiestatis, quod ad huius criminis atrocitatem illud proximè accedat. Sed crimen falsi cōmitti, propter suppositū partum, & in rēmpub. grauiter peccauit certum est. Interest Reipublicæ non contaminari familias, & spurios nobilissimis familiis non inseri, nec falsos hæredes supponi. Familiis nulla maior calamitas adferri potest, quam si adulteri-  
nus



nus partus legitimis natis commisceatur.  
 Hanc natorum confusionem, coniugij le-  
 gib. per Mosen latis Deus in populo Israc-  
 litico preueterere ac impedire voluit, quan-  
 do vni viro mulierem ita addixit, vt nec ab  
 eo temerè repudiata, nubere cuiquã alte-  
 ri posset sine crimine adulterij: quo semel  
 polluta, redeundi ad maritum omnẽ spem  
 ademit, cui legi, Imperatorum leges de ad-  
 ulteriis in omnibus ferè consentiunt, vtpo-  
 te quæ non ferant adulteram à marito reti-  
 neri. Qui retinet crimẽ incurrit lenocinij.

Sed plæriq; Theologi ab æquitate legis  
 Mosaicæ & Romanorũ legũ recedunt, qui  
 cum à stupro adulterium non separant, in-  
 ter adulteriũ, & adulterium nullũ discrimẽ  
 constituunt, & pœnitentia restitui in inte-  
 grũ peccantes in hac re disputant, omnem  
 delicti cautionẽ in futurum tollunt, & ma-  
 lè meo iudicio matrimoniorũ castitati cõ-  
 sulunt. Incestæ nuptiæ ex adulteriis nascũ-  
 tur, dum sorores fratribus nubunt, & frater  
 sororem ducit vxorem, & priuignus nouer-  
 cam. Procreati eodẽ patre, qui in diuersis  
 nati sunt familiis, extranei creduntur & ipsi  
 ignari parentum suorũ flagitiosæ turpitu-  
 dinis, fœdius cõmifcentur. Quamuis igno-  
 rantia faciat vt eis peccatũ non imputetur,  
 res tamen est nefaria: Et quantum ab ho-  
 minib. fieri potest legib. cauendũ, ne per



Gen. c. 12.

ignorantiam huiusmodi quicquam in bene constituta Repub. committatur. Punit enim Deus & hanc ignorantiam. Historiæ Abrahami apud Ægyptios notæ sunt. Ignorantia nõ obstitit, quo minus Pharaonẽ & ipsius familiã Deus maximis plagis pcuteret.

Gen. c. 20.

Nec Abimelecho Regi Geraræ impunẽ fuit Abraham vxorem in domũ suam duxisse. Quamuis & hic & ille falso Sarã tantũ sororem Abrahami esse crederent, raptæ alienę coniugis pœnam non euaserint. In huius peccati genere, ignorãtia sæpẽ iustum & pondus peccati habet.

**I**N quæstionibus Adulterij crimen spectantib. decidendis nõnulli falluntur Theologi, commiserationis quadam specie erga sexum foemineum, & studio deterrendi viros à scortatione, dum legem pudicitie vtriq; coniugi cõmunem tantum considerant, causas diuortij nõ rectè meo iudicio tractant. Nõ .n. ingens discrimẽ quod inter scortationem & adulteriũ, aut si quis malit, inter adulterium & adulteriũ intercedit, & q̃ sit aliud alio grauius ponderare, nec quid insit in crimine adulterij, quod diuortij necessariũ ius facit, perpendere videntur. Longa demonstratione res non habet opus.

Queritur inter Theologos nõ idem ius diuortij cõpetat vxori, q̃ viro datur ppter adul-



adulterium. Deinde an pœnitenti coniugi  
 læsa pars ignoscere teneatur. Tertio an fa-  
 cto diuortio, nouū connubiū sit parti inno-  
 cētī integrū. Ad primā quæstionē grauissi-  
 mi quidam Theologi respondent, quū par  
 sit vtriūsq; vinculum, fidei mutux violatio-  
 nem esse quoq; parē: proinde ēt repudij ius.  
 De altera quæstione, tres sunt diuersę Theo-  
 logorum sententiæ. Alij non licere homini  
 Christiano, quando de seria constat pœni-  
 tentia, quantū hominibus constare potest,  
 pœnitentē peccati sui repellere coniugem  
 aiunt: & teneri ēt post diuortium ( si quod  
 intercesserit ) pœnitentē vxorē in gratiam  
 recipere. Alij totā rem in arbitrio esse volūt  
 offensi vel offensæ cōiugis. Alij verò omnē  
 cum adultera reconciliationē nefariā esse  
 adfirmant, & ex verbo Dei docent. Ad ter-  
 tiam quæstionē, nouum diuortij genus in-  
 uentū est, temporibus Seruatoris incogni-  
 tū: Et ita meretricem dimittere vxorē pre-  
 missum à Domino interpretatur Canoni-  
 stæ, & pleriq; Theologi, vt secundas nuptias  
 tam marito q̄ adulterę negatas putent.

Qui idem ius Diuortij vtriq; coniugi tri-  
 buūt, Paulinę sententię in primis niti vidētur,  
 vbi ait. *Vxor proprij corporis potestatem nō habet* 1. Argum.  
*sed vir: Similiter & vir proprij corporis potesta-* 1. Cor. c. 7.  
*tem non habet sed vxor.* Et seruator apud Mar- vers. 4.  
 cū respōdet discipulis suis. *Quicūq; dimiserit,*

A 4

vxorem



2. *Argum.* *uxorem suam & duxerit aliam, mæchatur aduersus eam. Et si mulier dimiserit virū & nupserit alteri, mæchatur.* Par utrobiq; crimen est tam *Mar. c. 10. vers. 11. &* in viro quàm in muliere. Atqui cum diuortium permissum sit adulteri causa viro, ratio nulla esse videtur cur negetur mulieri, quod viro cõceditur. Quamuis apud Mattheum viri tantum fiat mentio (inquiunt,) mulier non excluditur.
3. *Argum.* Hieron. in Epist. ad Oceanum de obitu Fabiolę habet hanc sententiam. Quę præcipiuntur viris in sacris literis, in mulieres redundant. Verba Hieronymi ut citantur à Gratiano hæc sunt. *Præcipit Dominus uxorem non debere demitti excepta causa fornicationis, & si dimissa fuerit manere innuptam. Quidquid viris iubetur hoc consequenter redundat in fœminas. Neq; adultera vxor dimittenda est, & vir mæchus retinendus.*
4. *Argu.* Præterea sexus imbecilior, maiori misericordia veniaq; dignus est quàm is quem Deus natura firmiorem creauit. Crimen in viro tantò magis animaduersione dignum est, quantò muliere est præstantior. Quarto si marito fas est ob adulteriū vxorē abdicare, quū tantundē maritus adulter tonet in vxorem idem ius repudiãdæ ei competit.
5. *Argum.* August. lib. 5. de adulterinis coniugiis c. 6. & 7. *Paria crimina mutua cõpensatione delentur. & 32. 4. 7. Indignantur si audiãt mariti adulteros*



teros viros pendere similes adulteris fæminis pænas, cum tanto grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fæminas. Idem Aug. de sermone Domini in monte. Nihil iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud. In quo enim alterum iudicas, temetipsum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abijcere uxorem, prior debet esse fornicatione purgatus. Quod similiter etiam de fæmina dixerim.

Innocentius Papa: Christiana religio adul- 6. Argu.  
terium in utroq; sexu pari ratione condemnat. Iohannes Chrylostomus Hō. 4. in pr. ad Thesalon. c. 5. Adulterium quippe non tum solum est, quando mulier alteri nupta mæchatur, sed quando vir hoc facit qui uxori alligatus est, &c. Etenim dic mihi cur punis uxorem, etiam si cum soluto viro, & uxorem non habente fornicetur? Eo quod adulterium committit? Quamobrem? atqui uxorem non habet, qui cum ea fornicatur: At ipsa alligata est viro. Iam & tu alligatus es uxori. Ergo tuum facinus pari ratione adulterium est. Idem in Iohannem. Hoc enim apud Deum scelestum videtur, ut si uxor ab Idololatra viro, ipso nolente discedat puniatur, si ab adultero minime.

Hæc est Theologorum communis sententia: à qua inuitus admodum recedo: sed cogunt me validiores in cōtrariam ire sen-

A 5 tentiam



sentiam rationes. Docebo enim ex sacris literis, & communi omnium gentium iudicio, similiter & veterum Theologorum, maximum interesse discrimen, inter vxoris & mariti scortationem, & errare qui patrem vtriusq; culpam faciunt. Ex verbis Domini Seruatoris nostri, & ex lege Mosaica de diuortio, & de repudiatis vxoribus, duplex adulterij genus facile colligitur. Aliud enim fuit illud, quod capitale erat, aliud quod dissimulabatur, & ad quod lex conuere visa est: de quo nulli iudices præter Deum cognoscebant.

Illud primum adulterij genus lex Mosaica apud Iudæos, & ius ciuile apud plebasque gentes, extremo supplicio plectebant. Nulla gens fuit, quæ non iudicauit aliqua poena esse in adulteria animaduertendū: sicut cum ex variis historiis, & diuersarū gētium legibus, tum in primis ex lege Iulia de adulteriis doceri potest. Cōmittitur autem hoc adulterium in alienam vxorem: quisquis ille sit, siue cœlebs, siue vxoratus qui hoc audet facinus. Et stuprum leges definiunt, quod in viduam aut in virginem nemini desponsatam committitur, etiam si vxorem stuprator habeat. Secundam verò aut tertiã ducere vxorem priore adhuc superstite, aut retenta aut repudiata, non habebatur adulterium: sicut nec repudiatam à



eam à marito mœchari, si nupsisset alteri,  
mœchusue qui eam in vxorem accepisset.  
Pellices, Mosaica lex & iura gentium non  
habent pro adulteris.

Moses tamen satis apertè sacrum coniu-  
gij vinculum violari docuit, quoties ma-  
ritus vna vxore contentus non fuit: quip-  
pe qui contra primam matrimonij insti-  
tutionem peccaret: in qua Dominus vni  
viro vnam tantum dedit coniugem, cum  
plures dedisse potuerit: maximè tunc  
quando duos tantum colonos vniuersus  
orbis habuit, & noua generis humani pro-  
pagatione replendus fuit habitatoribus.  
Primus parens spiritu prophetico iam in-  
de ab initio rerum humanarum, omnibus  
suis posteris denuntiauerat, coniuges duos  
futuros in vna carne non plures. Præterea, *Gen. 2.*  
lex de abdicata vxore, nefarias futuras nu- *24. v.*  
ptias, abdicatæ à marito, intelligendum  
reliquit, quando secundis nuptiis eam ita  
contaminari iudicauit, vt nullo casu post-  
ea ad priorem redire maritum nec ei re-  
conciliari (quod poterat si mansisset in nu- *Dent. 2.*  
pta) licuerit. *6. 1. v.*

Rem fuisse controuersam ex quæstio-  
ne à Pharisæis Domino proposita vide-  
tur: quam apertis verbis ipse decidit quan-  
do dixit. *Qui dimissam duxerit mœchatur.* Ver *Matt. 19.*  
ba igitur Seruatoris nostri quibus adul- *6. 9. v.*  
terum



terum esse docet, eum qui dimittit vxorē, & ducit aliam, & mœchari similiter eum qui dimissam duxisset, nihil aliud significant, quam ante Dei tribunal reas adulterij conscientias teneri, quamuis ciuiles leges in illud adulterij genus non animaduertent, & vulgò non esse peccatum crederetur. Sed Domini mens non fuit repudiandi maritos fœminis ius propter hoc adulterij genus dare, sicut propter capitale adulterium antè concesserat maritis.

Illis matrimonij legibus vel potius Legis Diuinæ interpretationib. consciētix piorum instituuntur, contra doctrinam Pharisæicam, quæ tota circa externum hominem versabatur: & quidquid dixerat ille legislator Moses de externo Dei cultu, & politia sanxiuerat, ad absolutam apud Deum iustitiam pertinere docebant. Iosephi Ant. Iud. lib. 12. c. 13. communis huius apud Iudæos erroris testis est. *Qui nullatenus (inquit) egit peccatum, sed tantum cogitauit, nullo reatu tenebatur.*

Sed quo magis Dominus hanc iustitiam Pharisæicam, vel potius hypocrisin argueret, solo mulieris impudico intuitu, crimen incurri adulterij docuit. Inde tamen nemo ius diuortij colligere potuit datum, si coniugum alter se hoc crimine commaculasset. Hæc adulterij genera cum ciuili & capitali



pitale adulterio non sunt commiscenda. Sic igitur adulterium quod Iurisconsulti tantum vocant stuprum, modò discrimen retineatur inter adulterium, & adulterium.

Quocirca ne inter differendum cōfundatur hæc inter se, vocemus hoc posterius adulterij genus theologicum, aut canonicum, aut etiam Euāgelicum, & prius vt diximus ciuile & capitale: ne ambiguitas vocabuli, causam nobis præbeat erroris. Nihil enim in diuortij causa doctissimis viris errorem attulit, quàm indiscreta huius vocis acceptione: & quia quod conscientiam lædit in hac re, ad diuortij ius, id crediderunt pertinere.

His itaque hoc modo constitutis, exa- *adi. Argu:*  
minemus quæ ex verbo Dei citantur testimonia. Ad locum pr. ad Cor. 7. cap. 3. v. Respondeo, doctrina Pauli in illo loco doceri mutuam hinc inde inter coniuges esse oportere beneuolentiam: sed malè aptari ad diuortij ius, de quo Paulus nihil cogitauit. Qui secundum tertiam uè ducebat vxorē, iniuriam quidem faciebat priori, sed non ea maior erat, quam si viduā aut virginem stuprasset; addam & alterius viri vxorem adulterasset. Quod in ipso peccato discrimen magnum erat, dolor ad alienos pertinebat. De scortatione vxoris idem dici nō potest, siue enim illa rem habeat cum eo  
qui



qui liber est, siue cum vxorato, par scelus in maritum, tamq; familiã, atq; adeo in ipsam Rempublicam committitur.

Extra legitimas nuptias, omnis maris foeminæque coniunctio cum turpitudine ac dedecore coniuncta est: sed in vxoris adulterio, longè impar est violatæ fidei iniuria: cuius dolor tantò grauius puniri debet quantò ad plures ea pertinet. Vitiauit virginem maritus aut viduam, iniuriam factam vxori controuersum non est: sed ad neminem præterea ex tota familia, hæc pertinet iniuria. Quæ vxor est aut sponsa alterius, si suam pudicitiam prostituat præter maritum proprios offendit parentes: peccat in socrum, & socerum, in patruos & auunculos, in patruales & consobrinos, in leuiros, in priuignos, & in suos denique ipsius natos, si quos legitimos prius ex marito susceperat. Multitudine iniuriarum mirum in modum crescit mulieris peccatum.

Iustis nuptiis legitima certaue proles, & certus verusque hæres in primis quæritur. Quamuis plures sint coniugii causæ, prima & præcipua est prolis certitudo. *Coniugij præmium* (vt inquit Ambrosius) & *gratia nuptiarum, partus est foeminarum.* Vxoris adulterium hoc fructu priuat maritum, falsumque supponit partum, & legitimo



timo si quis sit miscet nothum. Maritus autem sua scortatione propriam non turbat familiam: nec vxoris suæ sanguini miscet alienum.

Locus autem Pauli nihil aliud docet, quam maritum peccare, qui copiam sui corporis negat vxori, æque ac vxor, quæ se morigeram præbere marito recusat, & inter vtrumque coniugem obligationem mutuam intercedere: æqualitas verò peccati nulla inde efficitur. In eodem peccati genere grauius peccat subiectus in superiorem, propter obedientiam & reuerentiam quam ei debet, quam si superior idem in subiectum committeret. In comparationibus quibus æqualitas adsumitur demonstranda, paria omnia vtrinque sunt constituenda. Obligationem quidem mutuam inter coniuges, Apostoli verba docent: sed eam propterea esse hinc inde æqualem, nemo rectè intulerit. Non enim à simplici ad compositum rectè quis argumentabitur.

Si quis dicat hac in re pares esse coniuges, alioquin impares: dici quidem id potest, sed mihi id non sufficit, doceri velim. Non propter mulierem vir creatus est, sed mulier propter virum. Hanc inæqualitatem Ambrosius annotauit in exhortatione ad virgines his verbis. *Denique Apostolus dicit*



dicit. *Mulier sui corporis potestatem nō habet, sed vir. Et quid mirum de muliere? quandoquidem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Si qui fortior est potestatem non habet, quanto minus infirmior? Non ergo absoluit mulierem cōmunis seruitus, sed grauius adstringit.* Mihi profectō ordinatione diuina, in re quauis viro suo mulier inferior & subiecta videtur:

Tamen vt hac in re æqualitatem admitterem, ea quomodo trahetur ad ius diuortij, quod non propter negatam beneuolētiā conceditur, sed propter violatæ coniugalis fidei iniuriam? Qui repudiatam ab alio vxorem ducebat, in crimen incidebat adulterij: similiter quæ à viro repudiata nubebat alteri, iudicio Domini erat adultera: Et qui priori coniugi secundam tertiamuē superinducebat vxorem, id facere non potuit sine prioris iniuria, qui in plures beneuolentiam, quam vni debebat, distribueret. Sed hoc adulterij genus diuortij ius actionem uē in maritum vxori non dabit, & illud esse capite puniendum nusquam Dominus docuit: nec vllæ gentium leges censuerunt. In adulterio autem ciuili, leges iniuriam atrocitatemq; criminis spectarunt: quæ longè maior in hoc genere est, quam in illo. In contractibus ex quibus nō nascitur par violatæ fidei iniuria, ad parem pœnam obligatio iniqua est. Mulieris natura  
& quæ



& quæ eam circūstant, reddunt ipsius conditionem deterio- rem. Papinianus in d. lib. 1. tit. 5. ait. *In multis iuris nostri articulis deterior est conditio fœminarum quam masculorum.* Ad legem Iuliam de adulterijs l. pr. *Publico iudicio non habere mulieres adulterij accusati- onem, quãuis de matrimonio suo violato queri ve- lint, lex Iulia declarat: quæ cum masculis iure ma- riti accusandi facultatem detulisset, non idem fœ- minis priuilegium detulit.* Æquitas huius le- gis per omnia cum lege Mosaica & cum ratione consentit: vtpote quæ iniuriam in adulterio vxoris aliam grauioremque iu- dicauit contra maritum, totamque ipsius cognationem quam esse queat mariti, qui aut scortatus aut mœchatus fuerat, in vxo- rem.

D. Beza in lib. suo de diuortijs hanc quæstionem paucis attigit, in qua nullo modo mihi satisfacit. Ipsijs verba hic sub- iiciam. *Queritur sitne in petendo diuortio idem ius vxori aduersus maritum, atque marito aduer- sus vxorem.* Non esse verò apparet ex Malach. c. 2. v. 5. *apud quem monentur mariti, vt potius quam iustas suas vxores superinductis alijs, ad eò crude- liter affligant, dent eis diuortij libellum, ex quo consequitur ipsas sponte diuortium facere non potuisse, alioquin nimirum id vltro facturæ.* Hæc D. Bezæ obiectio quam ipse sibi for- mat, mihi longè videtur grauiissima, di-  
B
gnaque



gnaque cui diutiùs ac magis seriò immo-  
raretur. Nexuit D. Beza hîc nodum quem  
non soluit. Non enim quisquis ad rem quã-  
piam aliquid dicit, argumentum soluit.

Attende igitur candide lector. *Sed huic  
rationi (inquit) facile occurri potest. Nec enim  
hic agitur de adulterio quod erat ex lege capita-  
le, sed de voluntario diuortio: quod quum ob duri-  
tiem huius populi tolleraretur, solis tantum vi-  
ris concessum fuit. Quos videlicet meritò existi-  
mauit Legislator tardiores hac in re & circum-  
spectiores futuros. Nihil autem hoc ad id de quo  
nunc agimus, in quo nihil fit ex partium arbi-  
trio, sed iudicio ex allegatis & probatis. Duo ge-  
nera diuortij hîc nobis proponit D. Be-  
za. Primum est quod dicit voluntarium,  
alterum cui nomen nullum dat, sed pos-  
set vocari legitimum & necessarium. Du-  
plex similiter adulterij genus notat alterũ  
quod erat ex lege capitale, & alterum quod  
non erat capitale.*

Prius illud diuortij genus, quod D. Beza  
vocat voluntarium ait esse concessum ma-  
ritis, negatum autẽ fœminis. Alterum ve-  
ro quod nascebatur ex adulterio, & erat ex  
lege capitale, competere æq; vxoribus atq;  
maritis. Sed qua verbi Dei autoritate id  
docet? quo veteris populi Dei exẽplo? Non  
habuit opus Prætoris alicuius vel iudicis au-  
thoritate, dando libello diuortij maritus.

Qui



Qui enim quavis de causa vel etiam nulla poterat repudiare uxorem, multò magis ob adulterium, si quod vxor commisisset vbi legis diuinæ cessabat rigor, id potuisse censendus est.

Libellus diuortij innoxiiis & pudicis dabatur vxoribus, nullo adulterio pollutis à scortatoribus ne dicam adulteris maritis. Qui pudicam matronam domo sua nulla interueniente Prætoris auctoritate, poterat eiicere, adulterā scilicet cogebatur retinere, nisi magistratus accederet auctoritas. Si in adulterij causa fuit opus auctoritate iudicis, ratione dotis id fuit, quam fortè maritus lucrari potuit. Sed apud Iudæos, quando Dei lex vigeat, accusator adulterij vxoris, nō diuortium petebat, sed ad extremum suppliciū vxorem deposcebat. In vxores autem impunè mariti erant adulteri, qui secūdas vel tertias pluresue primis superinducebāt: de qua tamen iniuria, ne cōquerēdi quidem apud Iudices fœminis ius vllum erat. Vnde luce clarius apparet scortatione mariti, nō fuisse ruptum matrimonij vinculū, quo viris suis alligatæ erant fœminæ. Si verò secunda vxor à viro suo repudiata fuerat, quam superinducebat aliquis priori, non magis hoc iniuriam augebat, quam si virginem aut viduam accepisset. *Deut. 24.*  
 Hoc tamen adulterij genus erat, quo adeò *1. Ier. 3. 6. 1*

B 2 pollue-



polluebatur illa secūda vxor vt ad priorem maritum nunquam postea redire posset. De adulterio autem capitali cum aliena nō repudiata à marito vxore perpetrato, accusationem ad vxorem pertinuisse à D. Beza doceri non poterit. Manet igitur argumenti robur ex Malachiæ c. 2. v. 15. vbi Dominus virorum quidem crudelitatem reprehendit & incontinentiā, qui priores cōiuges quas adolescentulas duxerāt, retinebant inuitas, superinductis alijs iuueniculis: sed à maritis discedendi aut eos repudiandi mulieribus potestatem nullam fecit. Vnde obsecro nouum illud ius hodiè accessit fœminis? quis dedit?

Quando D. Beza solis viris ait cōcessum fuisse voluntarium diuortium quod eos legislator tardiores & circūspectiores in hac re futuros esse crediderit, quasi si parem futuram constantiam credidisset in fœminis parem fuerit daturus eis repudiandi maritos potestatem, nimis leuis & incerta cōiectura est qua moretur. Vnde nouit D. Beza hoc cogitasse legislatorem, quem prudentissimum fuisse, ac diuino spiritu directum constat, potius quàm mariti auctoritatem, & vxoris respexisse conditionem? Mulier propter virum creata fuit, non vir propter vxorem: & eam Deus ita marito addixit, vt quandiu maritus eius viueret nubere alteri  
viro



viro non liceret. Et post lapsum primorum *Gen. c. 3.*  
 parentum seruilis quodammodo cōditio- *v. 16.*  
 nis, sub mariti imperio, in peccati pœnam  
 facta est. Quod diuortij ista licētia facta di-  
 citur propter cordis eorum duritiem, ad vi-  
 ros illa cordis durities non magis referenda  
 est, quam ad fœminas. Nota est fœminij se-  
 xus impotentia, nota est & malitia: vtrinq;  
 peccabatur. Certum tamen est Mosen vo-  
 luisse mulieribus tanquam infirmioribus  
 consulere: sed mariti authoritatem inte-  
 gram retinuit. Quæ certè tollitur, vbi de  
 iure æquali certatur.

*Non agitur* (inquit D. Beza) *de adulterio*  
*quod erat ex lege capitale.* Quid tum? inde ne  
 consequens est, de adulterio non agi; quo  
 vinculum coniugij ex ipsius sententia rum-  
 pitur, & persona innocens cōstituitur libe-  
 ra? Si cēset tantū illo adulterij genere, quod  
 lege diuina erat capitale, iugalis thori nexū  
 solui, mecum sentit: hoc enim est quod di-  
 sputo. Sed cōsequēs erit, vt quoq; fateatur,  
 si maritus cum pellice scortatus fuerit, vxo-  
 rem non habere ius repudiandi maritum,  
 vt ab eo propter hoc flagitium possit disce-  
 dere. Vxor pellicē ferre mariti cogebatur  
 sine vllō repudiandi maritum iure: non itē  
 maritus vxoris concubinum. Vxoris adul-  
 teriū semper lege diuina fuit capitale: ma-  
 riti vero non nisi quādo alterius stuprabat  
 B 3 vxorem.



vxorem. Quoduis vxoris adulterium semper cōiugij vincula rupit, & ab ea maritum liberauit; sed non similiter vxori, mariti adulterium, ipsius iugum excutiebat. Pelli- ces sub lege Mosaica mariti cum legitima coniuge habebant, easque inter legitimas numerabant vxores. Et hanc iniuriam ferre priores quæ veræ & solæ legitimæ erant vxores cogebantur: manebantque in arbitrio & potestate mariti scortatoris. Vnde luce clarius est, non idem ius repudij fœminis concessum, quod datum fuit viris. Maritos quidem acerbè Malachias obiurgat, de tanta in vxores crudelitate: sed mileras à mariti scortatoris iugo nusquam liberat. Eis dato libello diuortij abeundi potestatem fieri mandat: leuius hoc esse, quam si vna cum pellice in iisdem ædibus vxores retineantur inuitæ, vir Dei indicauit: sed hoc in fœminarum potestate non posuit.

*Non agitur* (inquit D. Beza) *de adulterio, quod erat ex lege capitale.* Quid igitur? si ibi ageretur de adulterio quod fuisset capitale, valeret nè locus ille Malachix ad probandum non habere vxorem æquale ius aduersus maritum in diuortio, quod habet maritus in vxorem? Capitale supplicium adiectum crimini aut detractum, criminis nō mutat naturam: citra mortem alio pœ-  
næge-



næ genere puniri potuit, quod lege Mosai-  
ca morte plectebatur: non tamen ideò ces-  
sasset ius repudij. Non semper neque ubiq;  
apud omnes gentes hoc adulterij genus, de  
quo differimus fuit capitale. Imo nec apud  
iplos Israeilitas: quãdo accidit iplos patrias  
leges contemnere, probabile est in adulte-  
ros non fuisse ex legis præscripto animad-  
uersum. Idololatria in illo populo cõiuncta  
fuit cum adulteriis & omni genere stupri,  
sicut Prophetarũ passim scripta testãtur. Si  
aut viri æq; ac vxoris scortatio cõnubij vin-  
cula resoluit, & à viro mulierem liberã con-  
stituit, sicuti maritũ vxoris adulteriũ, alic-  
nũ est quod adfertur de capitali adulterio.

Summam itaq; huius argumẽti in pauca  
cõtraho, & dico. Vxores Christianorũ ho-  
die non aliud habent ius repudiandi mari-  
tos, quã olim vxores Israeilitarũ habuerunt:  
at eas nullum habuisse ex Malachia cõstat:  
nullum igitur habet vxores Christianorũ.  
Adsumptio manifesta est ex Malachia. Pro-  
positio per se nota est. Non enim olim fue-  
runt alia cõnubij iura, quam sunt hodiè,  
excepto eo quod tẽporis ignorantia excu-  
savit. Quod Seruator noster nobis manife-  
stius fecit, dũ restringit cõnubij ius, nõ fa-  
cit laxius. Dimissa tunc à scortatore marito  
mulier nubere poterat, nec illius nuptiæ  
credebantur adulterium: non item hodie.



Altera obiectio, quã exanguẽ & languidam tenuiter tãgit D. Beza, hæc est. *Deinde obijcitur (inquit) illud quoq, quod vir sit mulieris caput, ac proinde mariti potior esse conditio videatur. Respondeo caput quidem esse maritum, ac proinde in mutuo coniugij consortio eminere proculdubio ipsius auctoritatem, cuius imperio videlicet res familiaris administretur: Verum si ius ipsum spectes, quod alter habet in alterius corpus (agitur autem de hoc iure in caussa adulterij) dico equalem esse utrinque obligationem: quod expressis verbis declarat Apostolus: uxor (inquit) suum corpus non habet in potestate, sed vir, similiter autem vir non habet suum corpus in potestate, sed uxor. Ex quibus verbis omnino efficitur utrinque in pari obligatione, idem ius alteri in alterum, ea tamen modestia seruata, quæ mulierem præcipuè in virum agentem decet, concedi oportere: quod certè defendit Aug. &c.*

D. Beza fatetur virum esse caput suæ uxoris: sed malè ipsius eminentiorem auctoritatem & imperium restringit ad rem familiarem, cum ad totius vitæ directionẽ & consuetudinem pertineat: & uxorem oporteat & in moderato vsu huius mutuæ potestatis, consilium mariti sequi. Habet & hæc beneuolentia suos fines, quibus includitur: ne in effrenam libidinis erumpat lasciuia. Christianæ nuptiæ habent suam



suam castitatem & continētiam: cuius certè maritum esse ducem oportere nemo negaturus est. In hac pari obligatione ipse D. Beza conditionem addit, quę inæqualitatē adfert, quādo ait, *ea tamē modestia seruata, quę mulierem præcipuè in virum agentem decet.* Est & in hac æqualitate diuersitas pro diuersitate personarum. Maritus enim semper & ubiq; maritus, hoc est caput vxoris suę est: & fœmina semper & ubiquè corpus & caro mariti sui, hoc est subiecta ipsius Imperio est: cui debet obedientiam simul & reuerentiam.

Sed quid momenti habet hoc mutæ beneuolentiæ debitum ad repudij ius? præuidisse mihi videtur D. Beza nihil ex his Apostoli verbis directè effici, posseq; negari quicquam pertinere ad demonstrationem paris iuris in re diuortij, quādo per parentheses inseruit, *agitur autem de hoc iure in causa diuortij.* Sed hoc à me negatur: & ex hac potestate tantum argui, iniuriam fieri ab illo coniuge, qui sui copiam negat coniugio: quod quia multis modis citra fornicationem accidit, malè ad diuortij ius trahitur. In diuortij iure negata corporis potestas beneuolentiæq; non fraus spectatur: sed ex adulterio iniuriæ atrocitas, non tantum in alterius coniugis personam, sed in totam cognationem & familiam, atquè adeò in

B 5

ipsam



ipsam Rempub. In qua re quū infinitis partibus. maior inferatur iniuria ab vxore, quam possit inferri à marito: & æquali iure diuortij cū marito per Dei legem non licuit mulieri contendere. Plura hoc loco nō addam superflua esset eorū quæ pag. 8. superius dicta sunt repetio. Hæc contra D. Bezæ sententiam disputata sunt ad Patres quos citat postea respondebo.

*Resp. ad 2.  
Argum.*

Venio ad secundum argumentum. Sed vt tota cōtrouersia melius intelligatur, causas quæstionis à Phariseis Domino nostro propositæ altiùs inquirendas cēseo: quo responsionis verus & certus sensus colligatur. Videndum est igitur quid Phariseos mouere potuerit, vt dubitarent de diuortio. Moses lege lata in arbitrio & potestate mariti, repudium dato codicillo reliquerat. Phariseos autē constat propofuisse Domino quæstiones, non tam animo discēdi veritatem, quàm calumniandi. Insidiabantur Domino suis quæstionibus. quarū responsiones cogitabant aut odiosas populo futuras. aut cum certo periculo coniunctas: vt aut ipsius doctrinam in odium & inuidiā apud rude vulgus vocarent, aut ipsi periculū apud ciuilem magistratum crearent. Verisimile autem ipsis videbatur, Dominum alterum horum responsurum: aut fas esse dato codicillo diuortij dimittere vxorem, aut nefas.



nefas. Ad utrumuis sibi habere videbantur certā calumniā. Si respōdisset Dominus, viris licere quavis de causa, dato codicillo repudij dimittere suas vxores, duo statim ei obiecissent: & q̄ aliquādo contrariū docuisset, & illud q̄ Deut. 24. legitur de repudiata quæ nupsisset alteri viro, & idcirco polluta dicitur: prohibeturq̄; ad priorē redire maritum secundò illo aut mortuo, aut reiecta ab eo. Quæsiuissent. n. vnde illa pollutio, si secūde nuptiæ post dimissionē erant licitæ. Nā si libello diuortij dabatur potestas nubēdi alteri, cōtaminata ex cōcessis nuptiis, quomodo potuit mulier dici? Sin Dominus negasset integrū esse maritis suas dimittere cōiuges, nisi cā adulterij: Mosis occurrebat authoritas q̄ eā legē lata potestātē viris dederat. Erroris huius cā primū notanda est.

Pharisæi legis indulgētia vti, nō credebāt lædere conscientia: fallebant̄ ratiocinando ex indulgētia legis, similiter apud Deū probari, q̄ apud homines nō dabatur crimini: perindē ac si inter Dei & hominū tribunal nullū esset discrimē. Ignorabāt nōnulla interdū leges ciuiles tollerare, vitādi cā maioris mali, q̄ tñ Deo minimē pbantur. Non n. pōt semper oīa q̄ peccantur in repub. suis legibus cauere aut rescare legislator. Hinc Domin⁹ legislatorē excusat, & culpā huius legis, duritię cordis populi Israelit. imputat.

Aliud



Aliud est Dei tribunal ad quod conscientia hominum citantur, aliud ciuile forum. Vincit sæpe litem etiam sub æquo iudice humanis legibus, qui condemnatur diuinis. Quamuis enim ipse Deus, author quoque sit Iudiciorū, eaq; velit æquitate quam fieri potest maxima, sanctissimè exerceri; non vult tamen ad diuinorum iudiciorum trutinam omne fas nefasq; examinari. Ipse multa suo reseruauit iudicio, in quæ homines inquirere nequeunt, planeq; cæci sunt: nisi fortè in causis quæ ipsos tangunt, suntque ipsi sibi benè vel malè conscij.

Lex voluntarij diuortij Mosaica fuit politica, & data tempori, duroq; populo; ne in peius rueret. Illa quidem non iubebat, sed tantum permittebat, quod emendari nõ poterat. Aliam olim Deus æquissimam legem, nondum corruptis hominum moribus tulerat, qua maritus iubebatur adherere suæ vni coniugi: eam nulli contrarij mores antiquare poterant. Mosaica diuortij lex fuit tantum indulgentiæ: Dei verò fuit æquitatis & iustitiæ. Ad eam igitur rectè reuocantur, qui ex Mosaicæ legis indulgentia, quid coram Deo liceret, constituebant. Indissolubile hominibus connubij vinculum Deus esse voluit, vt à nemine separari queant, quos Deus semel coniunxerit. Vna tantum calamitas est quæ hoc ab-

rum-



rumpat vinculum: nempe mulieris adulterium. Quod à domino expressè fuit exceptum: quando de diuortio fecit mentionem.

Præterea Domini responsio ultra interrogationis non est extendenda terminos, nec aliò ipsius deflectendus est sermo, quã causæ ferant sermonis. Cõstat Dominum Seruatorem de diuortij libello interrogatum, qui dabatur à maritis vxoribus: & quæsitum fuisse tantum, nùm viri quauis de causa possent abdicare suas coniuges. Extra controuersiam erat, id ius non habere mulieres. Quare cum hoc nõ sit quæsitum, mirum certè videri potest, dici ad vxores id quoq; pertinere ius: vt repudiare maritum foemina possit si scortatus fuerit, quemadmodum ipse potest vxorem adulteram.

Qui secundas aut tertias illa ætate duxerant vxores, siue virgines siue viduæ aut repudiatae fuissent, inter adulteros nemo habebat: priorum tamen posteriores illæ vxores erant pellices. Mariti verò quamuis ab adulterij capitalis excusentur crimine, ab illa scortatione quæ adulterij quædam erat species, nõ erant immunes. Itaq; quemadmodum quæstio Domini proposita de maritis & eorum potestate, intelligitur, ita similiter responsio ad eos est restringenda.

Nec quidquam valere debet in hac regula Hieronymi in Epist. ad Octauum  
de ob-



de obitu Fabiolæ. *Quæ præcipiuntur viris in saceris literis ad mulieres redundant.* Viris .n. multa præcipiuntur, quæ ad mulieres nihil pertinent. Lex Circūcisionis ad sexū fœmineum nihil pertinebat: & mandatū quo ter in anno omnis masculis apparere corā Domino iubetur, mulieres non obligabat, lex veterum, potestatem facit maritis, vxoris votum faciendi irritum: quum tamen eadem potestas data nō intelligatur vxorib. Eadem lex de natæ voto statuit, vt sit in potestate patris, de nato silet. Zelotipiæ sacrificiū oblatioq; & aquæ amaræ potio, qua mulier marito de adulterio suspecta se purgabat ad virū nihil pertinuit. Eodē .n. iure in maritum de adulterio suspectum agere mulier non potuit. Hæc Hieronymi regula sefellit in hoc argumento eos qui eam secuti sunt.

Neminem scriptorem fuisse arbitror qui dixerit olim Israelitidas viris suis libellū diuortij potuisse mittere. Iosephus scribit de Salome Herodis sorore, quæ nupserat Castobaro Idumeorū Dynastæ, ipsam marito mississe libellum repudij. Verba ipsius hæc sunt: *Orto inter coniuges dissidio, Salome marito libellum repudij mittit, præter legitimum morē patriæ. Lex .n. nostra solis maritis hoc ius permittit. Mulieribus autem ne dimissis quidem fas est nubere, nisi prioris viri permissu.* Quæ sit verborum Domini quæ iam supra citauimus vis, quisvè



quifvè genuinus sensus expendamus: exceptio adulteri quamvis apud Marcū & apud Lucā prætermiffa fit tamen intelligendam esse negari non potest.

Primum q̄ notari convenit est, Servatorem nostrum aperre docere quod excepta scortationis causa, vxorem repudiare non liceat. Multæ calamitates in cōiugio intervenire possunt, quæ à thoro & consuetudine domestica separabunt cōiuges: sed nulla, matrimonium dirimet, nisi vxoris adulterium. Alterum est q̄ vxorem dimittere ob aliam quamvis causam, & alteram ducere sit adulterium: sed illud adulterij genus nō fuit capitale, nec propter illud licuit reiectæ à marito nubere alteri: aut si forte vxorem habebat qui repudiatam accepisset in conjugem, nō magis licuit propterea vxori illius à suo marito discedere, quam si viduam aut virginem in secundam vxorem duxisset: quum tamen Dominus repudiatam à marito, qui aut iam aliam vxorem vnam vel plures habebat, aut erat accepturus, nubere secundo marito definierit esse adulterium. Itaque priore coniuge pudica superstite, secundæ nuptiæ damnantur: Et qui secundas vel plures ducebant vxores, grauitè in priores legitimas suas peccarunt. Sed ab hoc adulteri genere aberat violatę fidei iniuria, ob quam  
iustum



iustū fuit diuortium: nihilq; flagitiosæ turpitudini inerat præter libidinis incōtinentiam, grauius enim sic in vxorem maritus peccabat, quam si dimisisset. Qui enim castam matronam repudiabat, adulterio eam prostituebat: & leno propriæ fiebat vxoris. Sin vxorem vnà cum pellice retinebat, id castam matronam non potuit non grauissimè vrere. Hanc quidem maritorum crudelitatem Dominus per Malachiam reprehendit: Propterea Dominus eas potius iubet per Malachiam dimitti, quam vnà cum pellice retineri & tantam iniuriam ferre cogi: potestatem tamen non facit mulieribus diuertendi à marito. Hinc fit manifestum, de pari iure vxorem cum marito non potuisse contendere. Nam & hoc notandum hïc est, eum mœcham qui accipiebat repudiatam à tali marito, qui aliam aliamvè plures iam duxerat, aut ducturus erat.

Causam nullam video, cur D. Beza in lib. de diuortijs Basilij canonē quo dilertè prohibentur mulieres maritos adulteros, & cum scortis sese volutātes deserere, tātoperè exagitaret. Quid enim interest inter maritum qui pluribus scortis sese polluit, & eum qui in eisdem ædibus plures habuit pellices, coram in oculis honestæ matronæ, quam prius vxorem duxerat? Quid denique dif-  
fert



fert ille qui creditur Basilij Canon, ab eo qui editus fuit in Cōcilio Elibertino. *Fidelis fœmina quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum duxerit, prohibeatur ne ducat, si autem duxerit, nō prius accipiat communionem, quā is quem reliquit de seculo exierit, nisi necessitas infirmitatis dare compulerit.* Quē iniquissimum canonem vocat D. Beza, æquissimum tūm ex Malachia, tūm ex verbis Domini cōvincitur. Malachias fœminis discedēdi à maritis scortatoribus potestatem nō fecit: & Seruator dimissam ducere iudicavit esse adulterium. Præceptis sententia cavenda est: Basilium autem & patres Elibertini Concilij ego non miror hunc, similem vè huic edidisse canonē, quem summa veritate, & æquitate niti diuina, & perspicua verbi Dei testimonia docent.

Sed age D. Bezæ rationes expendamus, quib. hunc Canonē iniquitatis arguit, fateatur (inquit,) author canonis licere ex Domini verbo ex æquo tūm viris tūm vxorib. ob adulteriū à coniugio recedere. Errat D. Beza. Non patē vtriq. coniugi discedēdi ppter adulteriū Basilius ille potestatem facit. Illud ius propriū fuit viris. Quod cōsuetudinem verbo Dei cōtrariā recipi non oportere D. Beza contendit, nihil agit: hæc verbo Dei cōtraria esse demonstranda est. Evidenter .n. ex verbo Dei probatur, eā cō-

C      suetu-



suetudinem fuisse in populo Dei probatā; nec vnquam Israelitidē repudiasse aut potuisse iure maritum repudiare. Scripturæ testimonia quibus Canon confirmatur, D. Beza eludit, non soluit. Ignorasse enim D. Beza videtur, vxorem fieri marito meretricem & illicitam, quouis adulterio, maritum verò, nō nisi incestuoso. Quouis autem adulterio illicitam fieri marito vxorem probat ille author quisquis fuit, auctoritate Ieremiæ: & D. Beza negare non potest. Maritum autem vxori fieri illicitum propter incestum adulterium extra cōtrouersiam est. Tamen de hoc Canone D. Beza audeat pronunciare nihil eo ineptius, & vix quicquam aduersus Dei verbum contumeliosius in argumēto dici potuisse, interea quo id doceat nullum Dei verbum adfert. Non satis est plenis buccis verbum Dei ingeminare, qui nullum adfert. Inani vento id est impēritos territare, ne quid contra hiscece audeant, propter reuerentiam verbi Dei. Absurda quædam vt sibi videtur D. Beza infert, quæ minimè ex concessio antecedente consequuntur. Admittit quidem pollutam adulterio mulierem à marito non esse recipiendam. Cedo (inquit) *cur non eadem ratio in vxore aduersus maritum obtineat?* Nisi communis multis error deplorare, quæ doceret humanæ sortis conditionem, potius quam



quàm insectari, acerbior essem. Sed ego mihi timeo: hãc in homine docto ignorãtiam quũ videã, qd mihi possit accidere, mecum reputo. Quis. n. nõ videt plurimũ inter virũ & vxorẽ interesse: & parem non posse esse vtriusq; in eodẽ cõiugio rationẽ? sexus & q̃ sexũ comitantur ingens dũscrimen adterũt, vt par ius mutuumq; vterq; cõiunx sibi alter in alterũ vindicare non possit, expendat mecũ paulò attentius candidus lector velim, q̃ tũ apud Ieremiam & apud Malachiam legũtur: & facilẽ videbit idẽ in vxore aduersus maritũ nõ valere, q̃ in marito aduersus vxorẽ. Quando dominus p̃ Prophe- tã scortatores maritos reprehẽdit, qui prio- res suas vxores adsumptis nouis adfligebãt, nõ vetat eas apud maritos huiusmodi p̃ma- nere, sicut adulterio pollutã vxorẽ à marito recipi p̃hibet. Vinculũ matrimonij illa ma- ritorũ scortatio non abrumpebat, nec po- testatẽ faciebat vxorib. deserendi maritos nisi à maritis dimitterẽtur. Illæ ipsæ in quas tã grauitè peccabãt mariti, & vxores fœde- ris maritorũ manebãt, sicut in Malachia vi- dere licet. Maritus vtrò qui adulterã vxorẽ in gratiã recipiebat, aut retinebat, totã ter- ram suo flagitio contaminabat, & nõ tm̃ se- ipsum sed populuũ vniuersum irẽ Dei ob- nõxium reddebat. Vnde luce clarius ap- paret maritum sua, scortatione non fieri



coniugi suæ illicitū, sicut ipsa mulier si eam scortari contigerit fit marito: Proinde eandem rationem in vxore non obtinere aduersus maritum nemini mirum videri debet. Per omnia similis est ea quæ sequitur ratiocinatio. Ex prouerbiis Salomonis qui ait eum qui retinet adulteram stultum esse & impium.

*Esto (inquit) At cur non itidem stulta & impia dicatur, quæ virū adulterū ferat?* Idne quaerit D. Beza, vir in diuinis literis exercitissimus, aut queri posse credit pro foeminis? contra Dei mandatum 24. c. Deuter. & 3. Ieremiæ, retinetur adultera: & sic ubi id fit præuaricando terra præuaricatur, quod de foeminis scriptū nusquam dicit, si apud adulteros maritos permanserit. Mulierib. n. discedendi à maritis lex Dei potestatem nullā dedit, sicut tum ex Malachia, tum ex pluralitate vxorū, & diuortij iure maritis concessio apparet. Ergo nec stulta nec impia mulier dici potest, si cum adultero manserit: ut potè quæ stulta & impia esset, si discedere auderet. Alia est cōditio Domini alia ancillæ.

Quod Pauli locum attinet. Sed qui scis mulier an virum sis seruatura, fateor non oppositè citari.

Ad id quod in genere D. Beza dicit constare ex Eusebio à maritis fuisse sanctas foeminas separatas, respōderi nihil potest, nisi par-



particularis citerur historia, fieri potest vt iustæ fuerint causæ separationis, fieri potest vt nullæ fuerint: solis exemplis sine verbo Dei nihil decidi potest. Scire tamen lectorem oportet, ob solã scortationẽ mariti id est adulteriũ Euangelicum & conscientia, cui nihil aliud accedat, contra verbum Dei, & ecclesiæ veteres canones separari uxorem à marito. Dei verbũ contra q̄ peccatur iam pluries à nobis citatum fuit & D. Bezã non latet: sed illud nõ vti decet ponderat, vnde quod ipse de Canone illo ait in ipsius sententiã retorqueri meritò posset. Nimis vehemens D. Beza fertur in ea quæ ipsi non probãtur. Si qua in illo Canone est in Dei verbũ cõtumelia illa profectò quoq; dicetur esse in Malachia. Prestaret hæc claris & perspicuis scripturæ locis demõstrari, q̄ verborũ strepitu declamari Canõ nec iniquitatẽ maritorũ nec petulantia pbat: qd mulierẽ deceat, quã Deus sub tyrãnica mariti potestate constituit, pronunciat.

In secundo Argumento hoc cõsideratione dignũ est; q̄ apud Marcum de adultera Dominus ait. *Et si mulier dimiserit virũ suum, & nupserit alteri mæchatur.* Mulier apud Iudæos sine pbro à marito deserere potuit; ipsa verò maritũ vltro deserere, & alteri nubere sine crimine, & nota impudicitia nõ potuit. Nã hinc nusquã additur exceptio nisi ob



*scortationē*: quod in caussa mariti apud Matthæum Dominus non omisit. Necessitates multas quibus à marito fœmina diuellitur prætereo: si qua legitima interueniat modo pudicam se marito seruet cõiũx, ipsa vacat crimine. Sed si discedat à marito nubēdi animo alteri vtro, & reuera ei nubat, sicut ex Iosepho superiùs narrauimus de Salome, alio se contaminabat adulterij genere, quàm illa quę repudiata nubebat alteri, aut ille qui dimissam ducebat. Capitale illud adulterij genus erat: hoc verò minimè legitimæ istæ credebantur nuptiæ.

Si quis contendat, quādò apud Marcum & apud Lucam Dom. narratur de repudio facto temerè à marito locutus, exceptionē scortationis omissam fuisse, vndè tñ nemo rectè argumētabitur, eã non esse intelligendã, ita hoc loco adulterij exceptionē ēt esse subaudiendã: quod par sit vtrobiq; ratio, & idē ambos eodē iure vinculū astringat cõiuges: respõdebo. Verba Domini quib. docet ab adulteris maritis dimissas repudiatasvè qui accepisset mœchari, apertè aduersari. Vndè manifestū fit q̄ adulterum maritū vxor innocens dimittere & alteri nubere minimè potuerit. Qui dimissam duxerit (inquit Dominus) mœchatur: Dimissam; quam? & è quo marito intelligimus? an non ab Adultero, de quo Dominus dicit, qui di-

mitit



dimittit vxorē, & aliam ducit, mœchatur: Si Dominus non addidisset & aliā ducit, repudiū factū intelligi poterat ab eo, qui adulterij Reus non esset: sed qñ addidit & aliam ducit, adulterū maritū notauit, & dimissam ab eo qui aliā duxerat, accipi in vxorē sine adulterij culpa nō posse indicauit. Et hæc adeo mihi vera & perspicua videtur, vt mirer viros doctissimos potuisse in hūc labi errorem, vt parē crederent mariti & vxoris esse causam diuortij. Quū. n. constet plerōsq; omnes qui olim dimittebant vxores fuisse adulteros, hoc est aut pluriū vxorum maritos, ex quib. vnā aliquā repudiabant, aut erant mox ducturi aliam, vbi prior abiuisset; quomodo propter mariti scortationē intelligitur mulier idē ius diuortij habere quod maritis concedit Dominus?

Dico igitur ad testimonia scripturarum, quæ ex Marco, Matthæo, & Luca citantur, peccatū quidē apud Deum in foro (vt aiūt) conscientia, illis doceri: sed q̄ pōdus & criminis enormitatē attinet, adulteriorū diuersa genera non exequari. In eodē scelere multa solēt accidere, quæ totā criminis naturā mutāt. Cædē Deus in sua lege vetuit: sed immanior illa est, q̄a natis in parētes cōmittit, & in parētes bonos, de ipsis interfecto-rib. aut de tota Repub. benemeritos, vt in sūmo cōstitutos magistratu, quā q̄ in aliū



quempiam extraneū designaretur. In cō-  
 parationibus paria sunt vtrinq; constituen-  
 da, ei qui æqualia peccata rectè pōderat; vt  
 nihil sit hīc illicvè, q̄ scelus magis aggraue-  
 t. In scortatione mariti & vxoris cōparata in-  
 ter se, nunquā fieri poterit, vt omnia & vtra-  
 què parte cōstituantur paria: vt non longè  
 grauius mulier in virum peccet, quā ipse in  
 eā peccare queat. Ratio ob quā diuortium  
 nō tam cōcessum lege diuina, quā manda-  
 tū est viro propter vxoris fornicationem,  
 est maxima in vxore, nulla in viro: sicut à  
 nobis iam euidenter demonstratum est.

*Ad 3. Ar-  
 gum.*

Hieronymus ad Octauū totus est in lau-  
 dibus Fabiolæ: & q̄ cōtra Dei verbū & Ec-  
 clesiasticas regulas maritū adulterum reli-  
 querat, hoc excusat, & licuisse pari iure di-  
 sputat, quo maritis fas est adulteras repudi-  
 are vxores. Rationē cui tota ipsius argumē-  
 tatio nititur, iā ex verbo Dei refutauimus:  
 & quidquid viris iubetur, redundare ad fœ-  
 minas esse falsum demonstrauius: proin-  
 de & illud quod additur, neq; n. adultera v-  
 xor dimittēda est, & vir mœchus tenēdus:  
 Malachias certè potestati nō facit vxorib.  
 legitimis recedendi à maritis: quos apud  
 Deum Reos adulterij fuisse ex verbis Do-  
 mini manifestum est.

Nulla deniq; est ratio qua sententiā suam  
 confirmare nititur quando addit. *Si qui me-  
 retrici*



retrici iungitur, unum corpus facit: ergo & que  
 scortatori impuroq; sociatur, unum cum eo corpus  
 efficitur. Comparatio hæc dissimilis prorsus  
 est: nec est quicquam quod similem esse  
 coniunctionem doceat. Nefaria est omnis  
 cum meretrice copulatio: nimirum quod  
 libidinis obscenitatem nulla nuptiarum  
 tegat honestas: que tãtò turpior & iniquior  
 in eo qui maritus est iudicatur, quod cum  
 iniuria fiat vxori cuius caro & corpus est.  
 At vxoris cum proprio viro coniunctio,  
 quisquis ille sit, ei nequitix mariti & impie-  
 tatis societatem nullã adfert. In causa scor-  
 tationis virorum id fieri clarum est. Perma-  
 nere enim cum maritis qui secundas ter-  
 tiasuè duxerant vxores, priores teneban-  
 tur. Quod cætera flagitia attinet, improbi  
 mariti vsus piam vxorem nõ contaminat:  
 bona vxor benè societate impij mariti vti-  
 tur: fide vxoris fidelis, thorus infidelis mari-  
 ti sanctificatur. Nulla est ratio cur nõ æquè  
 scortatoris mariti thorum retinere casta  
 possit vxor, absq; vlla societate flagitij, quã  
 impij idololatræ & heretici absq; participa-  
 tione impietatis & heresis. Non enim quis-  
 quis cū idololatra aut hæretico vnum cor-  
 pus efficitur, fit impietatis alterius sui con-  
 iugis particeps. Hic mariti & vxoris eadem  
 est ratio: quod mulieri licet in hac re, licet  
 etiam viro. Adulterij alia est ratio: cæteris



criminibus nuptiæ non contaminantur, adulterijs verò violantur. Sed id alio modo à muliere alio modo à viro fiebat. Alia est ratio adulteri mariti, adulterio quod nulla lege capitale fuit, alia vxoris adulterio pollutæ ex concessis lege Mosaica nuptijs post diuortium. Illum adulterum ferre vxores cogebantur, nec licebat ab eo discedere: hanc verò à secundo marito adulteratam, priori marito qui eiecerat eam, & causam huius adulterij dederat, recipere prohibitum erat.

Hoc igitur rectè cum Hieronymo teneo, adulteram à marito non debere teneri; ne virum quoque sub maledicto faciat. Causas cur idem in marito non valeat, etsi attingimus pluribus statim pertractabimus.

*ad 4. Argu* Ad argumentum ab imbecillitate femineici sexus ductum, proindè maiori favore prosequendum, dico in hac re valdè hoc esse absurdum, & esse tanto seuerioribus legibus coercendum malum, quo in illud proniores sunt homines: siue id ex naturæ imbecillitate, siue ex peruersitate accidat. Infirmior (inquis) viro est mulier, faciliusque labi potest. Tantò igitur magis omnibus modis prouidendum est, ne cadat, in re præsertim tanti momenti. Si tantum illius casus ei noceret, addam & priuatim vni marito, nec vltèrius malum serperet, speciem



speciem aliquam æquitatis haberet hæc ratio: sed in periculo communi toti familiæ, atque etiam Reip. si diuinam legum seueritatem humanæ leuitati & clementiæ præferam, ignoscant mihi Theologi qui sunt contrariæ sententiæ.

Crimen tantò magis est (inquiunt) animaduersione in viro dignum, quantò est muliere præstantior. Rectè quidem, si adulterum compares cum adultera in eodẽ adulterij genere: nempe Paridem cum Helena, idẽ sentio. Maiori vituperio supplicioq; dignus fuit Paris quam Helena. Sed nostra comparatio in eodem non versatur reatu: quare non mirum si fallat cõparatio. Scortatio viri cum muliere quæ nulli viro coniuncta est, tantam iniuriam non infert vxori, & ipsius cognationi, quantam ipsa si cum quopiam scortata fuerit, qui vxorem non habet nec in ipsam primam & præcipuam coniugij causam peccat, sicut facit vxor. Certitudo prolis nuptiis quæritur, quam incertam reddit mulieris flagitiosa libido. Proinde falsum est tantundem maritum scortando peccare in vxorem, quantum ipsa peccat in virum. Totius enim iniuria familiæ & in matrimonium peccatum ad ipsum redundat.

Dum externam tantum quis libidinis societate intuetur, nec vltèrius respicit quid cuius-



cuiusquè peccatum secum trahat, aut ea flocci non facit, in hunc errorem labitur, ut credat causam diuortij esse, quæ non est: & ut vulgò Dialectici loquuntur argumentetur à non causa tanquam à causa. Nō enim tam scortatio causam diuortij facit, quàm ipsa quæ nascitur ex scortatione iniuria: idque solius ratione personæ.

Plurisque criminibus accidit, ut eorum naturam persona, tempus locus, ratio, modusq; agendi, & id genus plura, quæ rem quampiam actionem uè circumstant, & consequi solent, mutant. In furto videmus leges rationem modum uè potius punire, quo res aliena attrectatur detinetur uè, quàm ipsum furtum. Et hinc fit ut furti aliud genus sit capitale, aliud nè punitur quidem, vllauè afficitur ignominia: & satisfactum putatur parti offensæ, si ablata detenta uè res vel rei pretiū restituatur. Quid hinc furti genera recenseam, quæ differentiam accipiunt ab adiacentibus? Quæ tamen omnia quamuis peccati conuincantur, & iniusta omnis alienæ rei detentio attrectatiouè inuito domino doceatur, non tamen par actio nec simile ius in quemuis furem, ei cui furtum factum est competere indè demonstratur. In adulterio idem interuenire quid miramur?

Omniū gentium iudicio, atque ad cō  
(quod



(quod longè maximum est) Sp. Sancti, maxima est differentia inter adulterium quo aliena constupratur vxor, & adulteriũ quo vir cum muliere libera commaculatur. Illud Moses & pleræq; gentes capite damnarunt: hoc vero non modò nullo supplicio nõ affecerunt, sed nuptiarum nomine cohonestari permiserunt. Si paria indicassent peccata, ea quoq; pari supplicio adfecisset. Dicit non potest, Mosen ignorasse secũdas nuptias dimissæ à marito vxoris, esse adulterium, qui disertis verbis Deuteron: 24. c. pollutã dicit, nec ad priorem posse redire maritum, eam quæ legis indulgentia freta, secundo viro nupsisset: tamen eandem legem de marito non sancivit. Hic non ab vxore reiectus, sed qui vxorem à se repulerat, sua fretus authoritate secundas tertiasuè vxores ducebat: nec tamen priorem id à matiti iugo liberabat vxorem, aut nefariũ cum ea congressum mariti faciebat. Dispensatio diuina si vlla intercessisset, qua id licuisset; contaminatam secundis nuptiis repudiatam à marito Moses nunquàm notasset.

Patrum sententias nunc expendamus. Eorum qui nos in fidẽ præcesserunt, & ab Apostolis secundi receperũt Ecclesiarum gubernationem, plurimũ certè apud sanos homines semper valuit, & valere debet

autho-



authoritas : vbi verò inter se dissentiunt, quod pluribus visum est, & apud plerasque optimorum temporum Ecclesias obtinuit, consentitq; cū verbo Dei, qui sequetur, extra culpam est arrogantiæ. Sed lectorem admonitum volo qui incerta pro certis falsa pro veris sibi obtrudi non vult, ne Gratiano nimium fidat: recurrat ad ipsos authores quorum collegit sententias, & verum certumq; ab eis sensum discat.

Quod D. Augustinum attinet, veritatem disputando magis quæsiuisse videri potest, quam de hac re certò quicquam statuisse. Sic enim in disputatione de adulterinis coniugiis ad Pollentum scribit. *His ita pro modulo meo pertractatis atque discussis, questionem tamen de coniugiis obscurissimam & implicatissimam esse non nescio. Nec audeo profiteri omnes rationes eius vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicasse, vel iam posse si urgear explicare.*

Duobus in locis D. August. hanc quæstionem tractavit: nempe in lib. de serm. Dom. in monte, & in lib. de adulterinis coniugiis: in quibus hunc locum Matthei 5. c. *Quicumq; dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam mæchari & qui solutam à viro duxerit, mæchatur.* exponit confertq; cum verbis Pauli. Sed tam Domini præceptum quàm Apostoli locos dubitanter explicat; v-



cat; ubiq; enim cōditionali vltus est, *si*: & has claululas fieri potest, & si similis forma intelligatur, passim interierit. Argumenta vero quæ fiunt ab eo quod fieri potest, soluūtur quādo aut negatur fieri posse, aut aliter fieri posse adseritur, & posita conditio contraria conditione perimitur. *Si similis forma intelligatur* inquit August. quid si non intelligatur aliqua similis forma, & dissimilis doceatur? Itaque conditionibus quæ ponuntur negatis, consequens quod infertur labascit, nullo fultū solido fundamento; sicut lector ipse videre potest.

August. verba hæc sunt, *Hanc etiam Apostolus regulam tenuit. & in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptum Domini iubentis ostendit, cum ait. Eis autem quæ nupta sunt precipio non ego sed Dominus, mulierem à viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari: & vir uxorem non dimittat. Credo simili forma ut si dimiserit non ducat aliam, aut reconcilietur uxori. Fieri enim potest, ut dimittat uxorem caussa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam verò si nec illi nubere conceditur viuo viro à quo recesserit, neque huic alteram ducere viua uxore quam dimisit. Hæc Augustinus. Quis non videt D. Aug. hîc argumentari ab ijs quæ ponit: hoc est ab ea interpretatione verborū Apostoli*  
quam



quam ipse adfert dubius & incertus an sit verus ille sensus:

Et alio loco: *Iis qui sunt in coniugio* (inquit Apostolus) *præcipio non ego sed dominus, uxorem à viro non discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Potest enim fieri ut discedat ea causa quã Dominus permisit. Aut si fœmina licet virum dimittere etiam præter causam fornicationis & non licet viro, quid respondebimus de hoc quod dixit posterius: Et vir uxorem nè dimittat? quare non addit excepta causa fornicationis: quod Dominus permittit nisi quia similem formam vult intelligi: aut si dimiserit quod causa fornicationis permittitur maneat sine uxore aut reconcilietur uxori. Non enim male reconciliaretur vir illi mulieri, quam quum lapidare nemo ausus esset, dicit ei Dominus vade & vide deinceps ne pecces. Quia & qui dicit non licet dimittere uxorem si causa fornicationis non fuerit, si autem fuerit non cogit, dimittere sed permittit sicut dicitur. Non licet mulieri nubere alteri viro nisi viro suo mortuo. Si antè viri mortem nupsit rea est. si post viri mortem non est rea: non enim iussa est nubere sed permessa. Si enim par forma est in isto iure coniugij inter virum & mulierem usq; adeò ut non tantum de fœmina idem Apostolus dixerit: Mulier non habet potestatem sui corporis sed vir, sed etiam de illo nõ tacuerit, dicens: Similiter & vir potestatem sui corporis non habet sed mulier. Si ergo similis forma est oportet intelligi*  
non



*non licere mulieri virum dimittere, nisi causa fornicationis sicut & viro.* Hæc August. quæ latius prosequitur, disputans similiter quid per fornicationis crimen sit intelligendū: eoq; rem deducit, vt propter Idololatriã & infidelitatem, atq; etiam auaritiam viro liceat dimittere vxorem, & vxori maritum. Sed quis nõ videt disputari hæc ab August. potius quàm adfirmari? Quid enim hoc est quod ait fieri potest, vt discedat mulier ea causa ob quam Dominus permisit, quū ob nullam causam id mulieri permiserit? Mōstrauimus enim ab Adulteris ob secūdas & tertias acceptas vxores quas iam antè duxerant, fuisse priores reiectas: eas tamē manere innuptas oportuisse.

Sed accidit ob alias multas causas mulierem posse relinquere virum, aut à viro relinqui: vt si vir sit latro vel pyrata, hostis & proditor patriæ, p̄scriptus aut relegatus aut damnatus ad metalla, vel ad remigium: aut huiusmodi moribus vt sine vitæ periculo cum eo manere non possit, fieri etiam potest, vt maritus in bello captus ab hostibus detineatur, & in seruum venudatus in remotissimas orbis partes abducatur. Paulus autem in vniuersum est locutus, tam de voluntaria quàm necessaria recessione aut diuulsione mulieris à marito, manere innuptam oportere. Voluntaria discessio

D mariti



mariti ab vxore, & necessaria diuulsio vxoris à marito, eadem tenentur lege. Melius meo iudicio Ambrosius in commentariis in 1. Cor. 7. c. Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conuersationem viri, iam innupta manere: aut viro reconciliari. Quod si continere se (inquit) non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri ut nubat si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut Apostasia, aut si illicitè impellente lasciuia usum querat vxoris: quia inferior non omnino hac lege utitur quae potior. Si tamen apostatet vir aut usum querat vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier nec reuerti ad illum. Et virum vxorem non dimittere. Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens sicut de muliere, quod si discesserit manere sic: quia viro licet ducere vxorem si dimiserit vxorem peccantem quia non ita lege constringitur vir sicut mulier. Caput enim mulieris vir est. Ex his Ambrosij verbis videt lector quæ fuerit ipsius sententia. Et idem ius diuortij non habuisse mulierem, quod Deus viro iustis de causis dedit.

Quod autem ait August. illi adulteræ quam nemo lapidare audebat, non male reconciliari potuisse virum, & ob causam fornicationis non cogi maritum sed permitti dimittere vxorem, cū expresso Dei verbo Deut. 24. & Hieremix



miæ tertio ex diametro pugnare manifestum est.

Quod dicuntur paria crimina mutua compensatione deleri: ut in plerisque verum sit, & equitatem habeat sententia, huic negotio male aptatur. Paria enim non esse crimina docuisse me arbitror; & adulterio mulieris peccari, non tantum in maritum, sed etiam in totam cognationem, & in ipsam quoque Remp. quod adulteram non tantum maritus iure accusare possit, & omnes qui sunt ei sanguine propinqui, quorum interest, sed etiam alienus quatenus publicum est crimen, quod puniri interest R. P. Age, ignoscat scortator maritus uxori adulteræ, occurratque ei illud Pauli. *In quo enim alium iudicas temetipsum condemnas.* Quid socer & socrus? Quid leviri? Quid patrui & avunculi? Quid denique nati ex alia coniuge dicturi sunt? iure actio in adulteram his negari non deberet. Si leuitas legum citra mortem hoc adulterij genus puniat, & in solius mariti arbitrio relinquat coniunctam adulterij uxorem aut in gratiam recipere aut repudiare si eam receperit id certe cum omnium quos diximus faciet iniuria: & quod maximum est contra legem Dei sicut mox videbimus.

Quod autem paria crimina mutua compensatione delentur, videndum quomodo intelligi debeat. Si quod conuictum conuictio ex-

D 2 cipitur,



cipitur, & vulnus acceptum simili vulnere  
 quis vlciscatur, & oculi effossione effossum  
 oculum, inter pares hæc regula locum ha-  
 bet: sed inter imparis cōditionis homines,  
 hæc crimina esse imparia ratio iudicat. In-  
 ter parentem & natos, inter maritum & v-  
 xorem, inter Dominū & seruum, inter Pa-  
 triciū & plebeiū, si fortè quid simile acci-  
 deret, & pulsaret parens natum, vxorē ma-  
 ritus, Dominus seruum, patricius plebeiū,  
 & isti audeant referre, & seiplos vlcisci vel  
 contra si nati parentes verberent, vxor ma-  
 ritum, seruus Dominum, & plebeius patri-  
 cium, & hi se moderatè vlciscantur, hæc ef-  
 se paria crimina quis sanæ mentis sentiat,  
 mutuaq; compensatione deleta? In castris  
 Agamemnon Chriseida concubinam vel  
 aliam habuit: vt hanc iniuriam vlciscatur  
 Clytemnestra Ægistum adamavit: Omniū  
 gentiū iudicio hæc adulteria imparia sunt  
 habita. In populo Dei vxores cogebantur  
 ferre maritorum pellices. Earum multitu-  
 do nec pellicis nec vxoris excusasset aut le-  
 uius reddidisset adulterium, si alium virum  
 admisissent: nec culpam adulterij excusaf-  
 set quo minus in eas ex lege non fuisset a-  
 nimaduersum. Vni suam prostituere pud-  
 citiam viro, in Dei populo grauius erat,  
 quàm si vir cum centum concubinis & to-  
 tidem vxoribus suam expleisset libidinem.

Ex



Ex tot concubinis vnius viri certa proles erat: nec vllus supposititijs partus vllaue sanguinis confusio: Non tunc valebat male aptata huic peccato regula, *paria crimina, mutua compensatione delentur.*

Plurium concubinarum mariti vxorem, quæ cum alieno viro rem habuisset, hæc lex à mortis supplicio non liberasset. Cur hodiè illa valere debeat, cum nec criminis nec sexus sit mutata natura vel conditio, ego non video.

Quod legis veteris Dominus conuiuentiam sustulit, id paria peccata non fecit, nec in maritos potestatem vxoriam maiorem reddidit.

Peccati turpitudinem detexit, nihil maritis abstulit; nec mulieribus plus quam antea iuris habebant, tribuit, vt liceat nunc quod tunc non licuit; sed nè nunc liceat, quod tunc fortè licuit. Dominus legi nihil detraxit: sed addidit. Tunc iam deuinctum prius vni coniugi, maritum secunda tertiauè mulier etiam potuit accipere, hodiè non potest. Dimissa à marito tunc alteri potuit nubere, hodiè non potest. Contaminata vxor adulterio tunc ad maritum priorem redire non potuit.

Quid? tunc fuit nefarium & abominatio coram Domino qua terra ipsa contaminabatur est nè hodiè id licitum? quo



verbo Dei? De lege Dominus nihil mutavit in moribus, sed quod deerat addidit. Maioris perspicuitatis causa, ecce ego paria constituam crimina, quantum in hac recogitari possunt. Duo fuerunt mariti, quorum alter alterius dilexit uxorem: vterque clam altero alterius tam diu abusus est uxore, donec vterque alterius deprehendit scelus, suum latere arbitrans: hac fiducia mutuo se accusant: & ita palam fiunt adulteria. In comœdia maximum hæc risum & plausum apud malè moratum populum excitabunt. Apud æquos iudices ubi bonæ & seueræ leges vigent, quid? hic enim paria habemus crimina: mutuanè hæc compensatione delebuntur? & non potius pari supplicio vindicabuntur? Sed viri & vxoris adulteria quamdiu à viro non stupratur vxor aliena paria non esse crimina manifestum est ex iis quæ modò disputamus: proindè mutua compensatione non deleri, nec supplicio eodem puniri æquum est.

Non aduersor tamè decreto quod summa æquitate Imperatorio iure constitutum legimus ad leg. Iul. de adult. tit. 5. l. 13. *Vt iudex antè oculos habeat inquiratq; an maritus pudicè viuens mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit.*

*Per iniquum enim videtur esse, vt pudicitiam*

*vir*



vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat: quæ res potest & virum damnare, non rem ob compensationem mutui criminis inter utrosq; communicare. fieri potest vt maritus in tuas ædes pellicem adducat, eaque coram in oculis vxoris abutatur quo magis ipsius animum vrat.

Quod si hanc aut similem aliquam iniuriam vlciscendi animo, mulier pudicitiam suam prostituat, exemplo mariti hoc fecisse videbitur. Detur igitur adulteræ quod negatur post accusationem adultero, modo non admittatur flagitiorum compensatio. Ibidem l. 2. non auditur accusatus adulterij si lenocinium regerat. Qui hoc dicit lenocinij mariti se fecisse, cum releuare quidem vult crimen suum, sed non est huiusmodi pensatio admissa. Ideo si maritum velit reus adulterij lenocinij reum facere semel delatus, non auditur.

Quemadmodum accusationem mariti de adulterio non repellit allegatio violati thori mulieris ita nec lenocinij. ibidem. Si publico iudicio maritus uxorem ream faciat, an lenocinij allegatio repellat maritum ab accusatione? & putem non repellere. Lenocinium igitur mariti ipsum onerat, non mulierem excusat. Vnde queri potest an is qui de adulterio cognoscit statuere in maritum de lenocinio potest, & puto posse. Nam Claudius Gorgus



*vir clarissimus uxorem accusans, cum detectus est uxorem in adulterio deprehensam retinuisse, & sine accusatore de lenocinio damnatus est à Diuo Severo.* Legum ciuiliū æquitatem spectate diuinæ legi per omnia consentientem. Imperator non coegit adulteram retineri, sed ei pœnam adulterij sui inflixit, & maritum quo dignus erat præmio affecit. Lex Dei propter peccatum mariti, leuius crimen adulterij repudiatæ, quæ facultate libelli diuortij utebatur, & secundo marito nubebat, non æstimauit, vt redire ad maritum priorem posset. Sed tãquam pollutam & abominabilem non secus quam illa quæ vltro suam pudicitiam prostituisset, illicitam esse marito suo Deus iussit. Omnes pariter Seruator noster damnauit, tãm repudiantem maritum, quam repudiatam nubentem secundo marito; tãm maritos qui alias vxores primis superinducebant, quàm qui dimissas vxores ducebant. Sed Dominus non censuit compensatione hæc adulteria deleri, vt ad priora redire possent cõnubia vxores, quæ illo quamuis non capitali, quodam tamen adulterij genere erant contaminatæ.

Et ad illud Aug. *Indignantur si audiant mariti adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas: quum tantò grauius eos puniri oportuerit quanto magis &c.* respondeo, Verum quidem



quidem esse, quod ait Aug. si vir & mulier rei peragantur adulterij eiusdem generis, Non enim leuius peccauit Paris Helena: nulla æquitas damnat Helenam, qua non magis damnetur Paris, eadē pœna dignus est adulter, qua punitur adultera. Sed si cōferatur adulterium Euangelicum cum illo quod est capitale legibus, manifestus se p̄det error, & dissimilia equabuntur crimina contra diuinæ legis sensum, & iudicium omnium gentium. Et iure indignantur viri sua adulteria comparari cum vxorum adulteriis: sua (inquam) adulteria quibus libera virgo aut mulier stupratur, citra cuiusquàm præter vnus vxoris iniuriam. Quod viri peccatum quamuis non excusetur, valdè impar est peccato mulieris adulteræ: Idem responsum esto ad aliud eiusdem Patris dictum. *Nihil iniquius quàm fornicationis causa dimittere uxorem: si & ipse cōuincitur fornicari: occurrit enim illud: In quo enim alterum iudicas temetipsum condemnas. Eadem enim agis quæ iudicas &c.* Excipi potest à marito par meum flagitium non est: partum non suppono; cognationi familiæquè meæ vxorisquè iniuriam nullam facio, nothum inter legitimè natos non infero.

Sed hoc addo in exhortationibus huius generis hæc habere locum: & conscientiarum reatus posse comparari inter se antè



Dei tribunal. Nam quod incontinentia mariti peccantis in libera muliere, non secum trahit illa incommoda quæ nascuntur ex vxoris scortatione, nulla est viri virtus sed sexus conditio. Sed hinc transire ad publicum crimen capitalis adulterij non licet. Scortatores maritos Deus ferre, ac pati innoxias mulieres voluit, qui adulterio pollutam semel vxorem à maritis recipi vetuit. Ad Innocentium idem respondeo.

Quod Chrysostrum attinet. Eum hyperbolicè loqui luce clarius est: & potius ad deterrendos maritos à stupris, quàm quod senserit non aliam esse culpam vxoris cum soluto viro peccantis, quàm viri qui liberam à viro stupraret. Arguit quidem satis ab vtrisque peccari: sed parem amborum peccati grauitatem non conuincit, nec æqua bilance trutinat.

Omniū gentium moribus, legibus & iudicio, non par crimen fuit habitum, vnum virum rem habere cum pluribus fœminis, sicut vnam mulierem pluribus commisceri viris. Si etiam apud Deum idem fuisset peccatum, non magis tulisset vnum virum ducere plures vxores, quàm vnam mulierem nubere duobus tribusue simul viris.

Conuentia legis Molaicæ plures vxores



xores ducebant viri, quarum primæ secundis superinductis non iussæ sunt maritos deserere, imò nè poterant quidem: de quo peccato nusquam dicitur quod abominatio fuerit coram Domino, aut terram fuisse contaminatam tali facinore, sicut de muliere quæ secundo viro nupsisset, si eam prior maritus recepisset. Tamen secundis illis nuptiis nulla fiebat iniuria priori marito, nec ipsius familiæ: sed lenocinio eiusquè suspicioni Deus obviam ire voluit.

Qui parem viri & vxoris in matrimonio, & eiusdè in violatione contendunt esse auctoritatem, mihi dicat velint, cur potius vni viro plures vxores habere concessum & indultum fuit, quàm vni mulieri plures habere viros. Vtrumquè malum est (inquierent,) Scio. Hoc non disputo. Sed cur est hoc illo grauius? An falli dicemus in hac re omnium gentium iudicium? & vt fallantur: diuina sapientia falli non potest.

Sed duæ sunt grauissimæ causæ, quæ non intellectæ hanc nobis pariunt perplexam dediuortio disputationem.

Prima causa hæc est, quod in multitudine vxorum & pellicum, certitudo prolis non ignoratur: nempe certa proles ex earum qualibet suscipiebatur. Altera causa, quod



quod procreatio prolis & humani generis propagatio, plurium virorum concubitus cum vna & eadē muliere impediatur, præter id quod incertus sit prolis nascituræ genitor, ad quem pertineat eius educatio. Adde quod canina quædā hæc sit spurcitas. Eam tantopere Deus & natura abominantur, ut à viro ad virum transire Deus nullo modo eandem mulierem ferat: minusquē ad eundem post foedam cum alio cōmixtionem. Quam detestanda res sit vnā mulierem pluribus misceri viris, qui non videt meo iudicio nihil videt. Et hæc de hac quæstione dicta sufficiant.

Posteaquā superius disputauimus non idē ius Diuortij datū fuisse lege Dei mulieribus quod viris, & Israeliticas mulieres coactas fuisse ferre scortatores maritos, alteram quæstionem aggrediemur: quæ ut partim ab ea dependet, ita etiam ei probandæ subseruiet. Quamuis enim non excusetur viri peccatum, & scortando faciat vxori iniuriam, ea tamen est huiusmodi, ut eam deuorare mulier teneatur, non autem maritus, quin iure possit debeatquē repudiare adulteram. Restat mariti officiū erga pœnitentem de adulterio vxorem: cui plæriq; Theologi & Canonistæ ignosci volūt: quorum argumenta hîc subiiciam.

Rationes quibus August. de adult. coniug. ad

*Altera  
qstio*



iug. ad Poll. lib. 2. probat pœnitentem vxorem de adulterio debere à marito recipi, istæ sunt. Primò quod omnes simus peccatores, & opus habeamus misericordia Dei, ergo in nos peccantibus, qui nobis ignosci rogamus, cōdonare quod in nos peccatum est oportet, si velimus vt nobis ignoscat Deus. & adfert pro pœnitente adultera historiam, quæ recitatur Iohannis 8. cap. de muliere deprehensa in adulterio: quod quæ Saluator dixerit accusatoribus illius mulieris, qui sine peccato est vestrum, primus in adulteram lapidẽ iaciat. *Remittite* (inquit, Saluator) *& remittetur vobis. Oramus remitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debentibus nobis. Qua fronte hæc dicere possumus si ad eò crudeliter nos vindicamus? Deus nõ vult mortem peccatoris sed vt resipiscat & viuat. Cur tu mortem eius vis? Idem Pater loco citato alias rationes præterea adfert. Deus* (inquit) *est imitadus: Ecclesia eius sæpè scortatur quem admodum scimus factum tempore Iudicum & Regum, tamen per Ieremiam dicit, vos adulteras uxores non reciperetis, ego secus facio. Item Oseas nomine Dei contendit. Si contendendum est exemplis, Dauid hoc fecit: Michol filia Saulis alteri data erat quod commissum fuit erat adulterium, non enim repudium intercesserat, Dauid eam repetiit &c. Sed* (inquies) *indigna est coniugio meo, est impura, est polluta. Quid tu dicis impuram quæ pœni-*  
*ten-*



*penitentia egit. Per claves Regni caelorum est restituta  
& non potest tuo thoro restitui? tibi ne hoc velles  
fieri? Hæc August. qui restitui in integrum  
peccatores per penitentiam credidit. Quod  
si verum est, vicerit aduersaria mihi sen-  
tentia, & à marito penitens adultera reci-  
pienda erit.*

Sed expressum Dei verbum prohiben-  
tis adulterio pollutam à priore marito re-  
cipi, me remoratur, nec finit D. Augustino  
assentiri. Penitentia in veteri lege locus e-  
rat, sicut in nouo est Testamento. Sed illa  
non tollebat poenas constitutas peccatis,  
quo minus homines scelerati paterentur,  
quod legum in peccantes decreuerat seueri-  
tas. Parricidio, incestui, adulterio, poenae e-  
rant constitutae, quas nulla redimebat pen-  
itentia. Quid autem August. respondeat  
Pollentio, non ignoro: sed an Pollentio sa-  
tisfecerit, nescio: mihi certe non satisfacit.  
Sciebat sanctus Pater in veteri Testamento  
non licuisse ab alio contaminatam viro re-  
cipere: sed noui Testamēti gratiam crede-  
bat seueritatem legis tollere. Eius verba in-  
feram ex lib. 2. de adult. coniu. *Quod autem  
tibi durum videtur, ut post adulterium reconci-  
lietur coniugi coniunx si fides adsit, non erit du-  
rum.*

*Cur enim adhuc fugimus adulteros quos vel  
baptismate vel penitentia credimus esse sanatos.*

*Hæc*



*Hæc crimina in veteri lege nullis sacrificiis mundabantur, quæ in lege noui Testamenti in sanguine Christi sine dubitatione mundantur: & ideo tunc omninò prohibitum erat ab alio contaminatam viro recipere uxorem: quamuis David Saulis filiam quam pater eiusdem mulieris ab eo separatam dederat alteri, tanquam noui Testamenti præfigurator sine cunctatione receperit. Nunc autem postquam Christus ait adulteræ, nec ego te condemnabo: Vade, deinceps noli peccare. Quis non intelligat debere maritum ignoscere quod vidit ignouisse Dominum amborum, nec iam se debere adulteram dicere cuius pœnitentis crimen diuina credit miseratione deletum.*

Quanti autem momenti hæc sint argumenta cuius iudicandum relinquo. Diuina decreta Israelitæ Reipublicæ quibus illius gentis mores formabantur fuerunt æquissima: nihilquè in eis Domini nostri aduentus mutauit, nisi quod gentium ferre non potuit conditio locorum & temporum. Mihi magis probatur Hilarij sententia qui in Matthe. Cano. 4. scripsit super his verbis Domini.

*Dictum est autem: Quicumque dimiserit uxorem det illi repudium: æquitatem in omnes concilians manere eam maximè in coniugiorum pace præcepit, legi addens nihil demens.*

*Nec*



*Nec sanè profectus argui potest. Nam cum lex libertatem dandi repudij ex libelli auctoritate tribuisset, nunc marito fides Evangelica nō solum voluntatem pacis, verum etiam reatum coactæ in adulterium uxoris imposuit, si alij ex discessionis causa nubenda sit, nullam aliam causam desinendi à coniugio præscribens, quam quæ virum prostituta uxoris societate pollueret. Hæc Hilarius. Qui non credidit nec alij ex patrib. plures, vim legis quæ adulterio pollutam recipi vetat esse sublatam in nouo Testamento, vt eam non teneantur seruare Christiani. Legi addens plura (inquit) nihil demens. Præceptis igitur suis Dominus licentiam à Mose concessam repudij reuocauit, addendo quod deerat perfectioni coniugalis vinculi non abrogando quod ad sanctitatem spectabat matrimonij.*

Pœnitentia valet ad adulterij culpæ remissionem, non ad legum quas Deus dedit causa coniugalis fidei obseruandæ abolitionem. Itaque abrogatio illius legis esset prius demonstranda. Si quis incestas contraxisset nuptias, & eam uxorem duxisset, quæ à patre ipsius fuisset constuprata, efficitur pœnitentia vt legitimas cum ea possit contrahere nuptias, & vt iam non amplius post pœnitentiam, Patris concubina haberi debeat? pœnitentia tantum veniam peccati adfert, nec semper restituit pœnitentiam



tētem illi integritati, in qua antè peccatum fuerat. Sic dico de adulteræ pœnitentia, faciet quidem vt adulterij culpa condonetur: sed non, vt non fuerit alterius viri, nondum priori qui eam repudiarat mortuo, simulquè habuerit duos maritos. Recipi enim à priorē marito talem grauius peccatum significatur, quàm fuerat secundarum nuptiarum adulterium. Vetus illa lex Deuteronomij non tãti facit culpam admissam in secundis nuptiis; quanti receptionem reditumq; ad priorem maritum. Pollutio quidem coniugij erant secundæ nuptiæ & mulier polluta dicitur quæ secundo nuba- bat marito: at reditus ad priorē maritum est abominatio coram Domino; & totius regionis pollutio, ac commune peccatum vbi id permittitur.

Hieronimus in commentariis in Mat- theum cap. 19. idem sentit. *Sola fornicatio* (inquit) *est quæ uxoris vincat affectum: imò cum illa vnã carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione separauerit à marito, non debet teneri. ne virum quoq; sub maledictio faciat, dicente Scriptura qui tenet adulteram stultus & impius est, ubicunq; est igitur fornicatio, vel fornicationis suspicio libere uxor dimittitur.* Hæc Hieronimus. Si adultera retenta virum sub maledictio legis constituit, valet igitur lex illa Deuteronom. 24. capitis quæ tales nuptias esse abomina-

E

tion m



tionem cotam Domino, eisquè terram pollui protestatur.

Idem ipse Hieronymus ad Amandum ex illa eadem lege apertius scripsit, ad priorem maritum redire non posse mulierem, quæ cum altero viro rem habuerit. *Rem nouam (inquit) loquar: imò non nouam sed veterem: quæ veteris Testamèti auctoritate firmatur. Si mulier reliquerit secundum virum, & reconciliari voluerit priori, non potest. Scriptum enim est in Deuteronomio. Si acceperit homo uxorem & coierit cum ea, accidat autem vt non inueniat gratiam in oculis eius, quod inuenerit in ea turpitudinem, & scripserit ei libellum repudiij, ac posuerit in manu eius; eieceritquè eam è domo sua. & egressa è domo illius abierit ac nupserit viro alteri, & ille quoquè vir posterior odio habuerit eam, atquè scripserit ei libellum repudiij, posueritquè in manibus eius, ac eiecerit eam è domo sua, aut si mortuus fuit vir ille posterior qui acceperat eam in uxorem, non poterit maritus eius prior, qui eiecerat eam è domo sua, iterum accipere eam, vt sit illi uxor, posteaquàm polluta est, quia abominatio est coram Iehouah & non pollues terram quam Iehouah Deus tuus dat tibi in hereditatem.*

Hieronymus rem nouam vocat hanc adulteræ receptionem; propter mores etiam illius seculi: in quo post pœnitentiam nonnulli reconciliari adulteras cum maritis posse credebant; ac si hanc veteris legis

gis



gis æquitatem Seruator noster abrogasset, aut pœnitentia huius generis decreta deleteret.

Tametli ceteræ omnes gentes Israelitarum legibus ciuilibus non obligentur, æquitas tamen legum æterna manet: & apud omnes vbiq̃e gentes vim suam retinet.

Non magis latrocinia, incestus, & adulteria aliaq̃e publica crimina impunita præterire gentium magistratibus fas est, quàm Israelitis. Adulteria ciuilia, similiter adulteri & adulteræ, & incestus, omnium gentium damnantur legibus. Sed quod longè maximum est, nos Dei legem ex Deuteronomio allegatam modo audiimus: qua profectò vehementer commoueor, quoties contrarios mores obtinuisse inter Christianos animaduerto.

Tria peccata in hac lege notantur. Primum est illiberale diuortium. Alterum post diuortium secundæ & adulterinæ nuptiæ: vtrumq̃e tamen indulgentia legis toleratum.

Tertium verò est, post adulterinum coniugium ad priorem maritum reditus: quem Deus se dicit abominari eoq̃ terram pollui. Sed quæso hîc animum aduertite, mihiq̃; vos equos præbete, ac videte quâ distet nostri seculi iudicia, ab æquitate diuinę legis.



legis. Diuortia iudaica leges nostræ non fecerunt: benè quidem: minus secundas post diuortia nuptias viuo marito repudiatæ: nec hoc malè. De neutro tamen dixit Scriptura, quod sit abominatio corâ Iehouah, terramq; vbi id permittitur contaminari. At illud quod tertio loco posui, nempe receptionem à marito pollutæ adulterino concubitu vxoris, quam abominatur Dominus, & qua terra ipsa polluitur, leges iuræq; nostra probant: cogitq; maritos adulteras recipere, & cum eis reconciliari aut continenter viuere. Nam si non contineant & scortati fuerint, actio dabitur adulteræ in maritum, iuxta legem paria crimina mutua compensatione delentur. Quos obsecro vos per Deum opt. max. creditis fuisse maritos, ad quos regressum post adulterinos amplexus Dominus prohibet? An repudiata vxore continenter sine vxore iudeos vixisse cuiquam probabile est? Quam malè sunt hæc ponderata Romanistis, qui adulteras coniuges à maritis perpetuò separari nolunt: maritosquè lenones suarum coniugum esse malant, quam adulteram vt Deus iubet in perpetuum abiici. Mulieris adulterio matrimonij vinculum non tantum dissolutum esse sed factum illicitum, indè luce clarius apparet, quod nupta secundo marito priore viuo, ad eum postea redire



redire, nec per diuortium, nec per mortem  
secundi mariti potuerit.

Apparet etiam ex illa Deuteronomi lege,  
quo sensu Paulus dixerit mulierem alligatam  
esse marito, quamdiu maritus viuit, nec  
liberari ab illo vinculo scortatione mariti.  
Nam Iudæi qui suas repudiabant vxores,  
plærique omnes aut plures simul habebant  
vxores, aut certè habere poterant adulteri  
erant. A talibus tamen maritis eiectæ  
mulieres viris obligatæ manebant, quamdiu  
mariti viuebant.

Duo quædam in lege Deus addidit ad  
deterrendos quosuis à recõciliatione cum  
adultera: & ad exaggerandum crimẽ, quod  
misericordiæ & reconciliationis Christianæ  
velamus nomine. Primum quod hæc  
receptio vxoris, alterius pollutæ concubitu,  
sit abominatio coram Iehoua. Alterum  
verò quod hoc modo polluat terra. Quæ  
duo nulquam addi solent nisi teterrimis  
flagitiis, quæ summo studio à quouis vitari,  
& à Magistratibus vindicari Deus vult: nisi  
cum aliquando sentire velint vltorem. Illa  
crimina quæ Deus abominatur, & quibus  
terra polluitur, Deum habent vindicem:  
suntquè ex eorum genere, ob quæ  
Ira diuina in filios incredulitatis desæuire  
solet.

Ieremias Propheta nomine Dei popu-

E 3

lum



lum Israeliticum his verbis ad pœnitentiam inuitat *Si dimiserit vir uxorem suam & abierit ab eo, & fuerit viri alterius, nunquid reuertetur ad eum amplius annon præuaricando præuaricata est terra ipsa?* Sed misericordem Deum hac sua non teneri lege demonstrat, quando facturum se promittit quod homini facere esset nefarium.

*Jerem. c. 3.  
vers. 1.*

Peccatum exaggerat populi Iudaici, quod quouis adulterio erat grauius: de quo quamuis apud homines nulla esset spes veniæ, tamen Deum paratum esse in gratiam recipere adulteram, quæ vltro non à viro eiecta, nec cum vno tantum amatore, sed cum innumeris scortata fuerat. Comparatio hæc sumitur ab imparibus continetque argumentationem à minore ad maius. Confertur enim adultera, quæ quamuis minimè à marito fuerit repulsa, cum tamen deseruit: & non contenta vna amatore, pluribus seipsam prostituit cum muliere innoxia: quam vir dato diuortij libello à se & domo sua eiecit: qua occasione sibi data nupsit alteri.

Ea tamen nullo modo ad priorem redire maritum potest: nec per legem eam recipere marito fas est. Vndè docetur multo minus dignam esse quæ recipiatur à viro, illa quæ nunquam repulsa fuit: sed sua spontè seipsam multis scortatoribus prostituit.



stituit. Hac comparatione populi Israelitici peccatum exaggeratur, qui fœdere Deo sicut, vxor viro coniunctus erat: tamen deserto vero Dei cultu prophanas Idolorum & falsorū Numinū Religiones susceperat.

Quamuis talem vxorem nullus maritus nunquam in gratiam recepturus esset, tamen, ea Dei clementia ibi proponitur, vt si ad Deum redire velit paratam esse reconciliationis gratiam.

Sed hæc misericordia soli Deo propria: nec à Propheta proponitur imitanda. Non hoc consilio Propheta hanc Dei proponit misericordiam, vt in ea re mariti adulterarum, Deum imitentur; sed vt immensam ipsius bonitatem humana maiorem, in receptione adulteræ Ecclesiæ admirentur. Apertè enim testatur si id fieret ab homine, præuaricando ipsam terram præuaricari & pollui: ac proinde iræ Dei fieri obnoxiam. Quam alienum à sensu Prophetæ sit, Dei ex hoc loco allegare exemplum, ad probandam reconciliationem cum adultera, iudicet æquus lector.

Quandoquidem diuortij libellum duro populo Moses indulserat, lenocinium hac lege Deuteronomij anteuertere voluit, ne diuortij colore lenones suarum vxorum fierent mariti. Quamuis enim nullam lenocinij lex faciat mentionem, allegetque



tantum eam quę prętenderetur causſam  
honestiſſimam, ſagaciſſimo legiſlatori non  
fuit difficile pręvidere, viros illa repudian-  
di uxores licętia, facile ad lenocinium poſ-  
ſe abuti. Notę ſunt gentium hiſtorię, Se-  
leuci Regis, qui Antiocho filio ſuo Strato-  
nicem uxorem ſuam ceſſit: & Catonis qui  
copiam Martię coniugis ſuę fecit amico  
ſuo Hortenſio. Hic mos fuiſſe legitur La-  
cedemoniorum, & priſcorum Romano-  
rum, aliarumque quarundam gentium: a  
quo ſcelere non abhoruiſſe Cananęos eſt  
verifiſimile. Sed vagas & promiſcuas libidi-  
nes Deus deteſtatur.

Vim huius argumenti ſibi ſuſtulſiſſe vi-  
detur clariffimus vir D. Beza, contra pię  
memorię virum D. Bucerum diſputans:  
qui pro hac ſententia in libro de Regno  
Chriſti hoc modo argumentatus eſt. *Si pol-  
luta dicitur quę poſt diuortiũ alteri nupſit ( quod  
tamen ei concedebatur ) ideoque à priore marito  
duci non poteſt, multo magis cenſenda eſt polluta,  
quę adulterium capitale commiſit: proinde à ma-  
rito retineri vel repeti non poteſt.* D. Beza ad  
hoc argumentum reſpondet hiſ verbis.

*Quod verba Moſis, Deuteron. cap. 24. non  
recte reddita ſint quia polluta eſt: quum po-  
tius oportuerit interpretari verbum e verbo,  
quia facta eſt polluere ſe: id eſt, quia in cauſſa  
eſt iſte prior maritus, cur illa ſe polluerit &c.*

*Recte*



Rectè autem dicitur istiusmodi mulier se polluisse, quoniam eiusmodi diuortia etsi lege civili tollerantur, tamen in foro conscientie nunquam licuerunt: sed culpa penes desertorem, siue penes eum residebat, qui diuortij libellum dabat. Est igitur (inquit) legis huius ratio peculiaris, quoniam videlicet qui uxores dimittebant, eas quodammodo aliis prostituebant facta ipsis ad alium virum transeundi potestate: ideoque planè quædam videri potuisset uxorum commodatio, quod turpe ac nefarium scelus fuisset, si soluto altero matrimonio prius illud licuisset reintegrare. Hæc D. Beza. Cum venia tãti viri dixerim quisquis ad argumentum aliquid dicit, nõ semper argumentum soluit aut fallaciam in argumento esse conuincit: vt hæc omnia vera sint, Buceri tamè argumentationis robur firmum manet. Illud est huiusmodi. Si quæ facta est polluere se mulier, idque nuptiis legitimis, citra proprium crimen, culpa mariti, recipi tamen à marito non potest, multò minus ea quæ capitali adulterio inuito marito pudicitiam suam vlrò prostituit. Valere hoc argumentum à minore ad maius, probatur simili argumento, quo Ieremiam esse vsum vel potius Deum ipsum per suum Prophetã, modo superius attigimus. Ipse Deus certè longè melior suæ legis est interpret, quam aliquis nostrum esse possit. Pollutionem Dei verbum causam esse adfirmat, cur ad prio-



rem maritū regressus negetur: quæ quum maior sit in illa quæ marito contempto, sese pluribus adulteris prostituit, minus digna quoque censetur quam recipiat maritus, ea quæ dimissa fuit dato libello diuortij, & postea vni nupsit marito. Causam quæ non est causa huius legis ponit D. Beza, vt verum sensum nobis adimat, quando redintegrationem matrimonij fuisse prohibitam, quia maritus dando libellum diuortij pollutionis huius dedisse causam, non ipsam pollutionem putat. Quod si ita esset, tunc omnis reconciliatio cum marito post datum diuortij libellum inhibita fuisset. Nam quisquis dabat libellum diuortij quantum in ipso erat prostituebat vxorem: quod se continebat mulier, non viri sed mulieris virtus erat.

Fateor quidem ne lenones suarum vxorum Israelitæ essent, cauere hac lege: sed eam infamiam non vitat omnium gentium iudicio, præterquam Canonistarum, qui de adulterio conuictam vxorem retinet.

Quid fiet adultero quando maritus ignoscit vxori? quo iure aget in adulterum, qui condonat ei quæ grauius in ipsum peccauit? Nullo iure in adulterum poterit animaduerti, vbi venia datur adulteræ. Furtum deprehensum multabatur quadruplo: A-



plo. Adulterium verò quo pretio? Quis dubitat adulteros, si quid possunt hoc vnū sagere per se, & per amicos, omnib. modis, precibus & pretio, vt mariti animum flectant ad misericordiam, vt reconcilietur adulteræ.

Quisque pretium aut quod pretij habet instar pro pudicitia violanda aut violata accipit, siue pactū antè fuerat siue post acceptum, tanquam doloris & acceptæ iniuriæ leuimentum, vxoris suæ leno est. Prudentiam illius legis admiror quæ in C. ad l. Iul. de adulterijs, lenocinij crimen incurere vult eum qui conuictam adulterij vxorem retinisset, vt quæ manarit ex eodem fonte quo illa quæ in Deuteronomio 24. cap. legitur. Quod vxor illicita sit lenoni marito qui eam prostituit ex hac lege manifestum fit. Ex incestuoso concubitu nemini mirum est vxorem illicitam fieri suo marito: vt si priuignus nouercam violauerit, vel vxoris natam maritus compresserit.

Quid mirum si quamuis adulteram marito suo illicitam Deus esse voluerit, propter vehementem ex reconciliatione verisimilemque lenocinij suspensionem?

Quid nequitas hominum recenseam? ad quas omnes claudere oculos mihi videtur Theologi, qui reconciliationem admittunt



mittunt cū adultera. Adulterum diuitem, nobilem, potentem, à quo lucrum & beneficium expectatur maritus feret, qui nunquam pateretur pauperem. Nō deseruerit vxorem maritus, non exposuerit pacta sperata uè mercede coniugis pudicitiam, sit tantum remissior & facilior propter reuerentiam Adulteri, qui alias futurus esset iracundior & seuerior in alium quemuis leno vxoris suæ censendus est. Ad furtiuos concubitus, facilis apud improbū erit conuiuentia, vnde speratur commodum. Ex vxorum impudicitia locupletari malos non pudet, quibus lucrum suaue est ex re qualibet. Opulētiorem factam vxorem ex adulterio diuturno facile recipiet in gratiam pauper aut auarus maritus, qui alias implacabilis esset pœnitenti prodigē & inopi, aut forte lue venerea infecta. Hæc & his grauiora quæ notauimus, prudentes Legislatores mouerunt, vt adulterā marito reconciliari noluerint, infamiāq; lenocinij ei qui fecisset, pœnamq; constituerint.

Dauidis exemplum qui recepit vxorem suam Michol, quæ nupsērat alteri viro, inualidum est: vis fuit, nullo præcedente diuortio, & natam cogēte Saulo, in odium & contemptum Dauidis, alium maritum accipere. Extra noxam repudiatę temerè cōiugis Dauid fuit: & illa prostitute pudicitię. atque



atque ita David contra Dei legem à nobis allegatam nihil peccavit, & liquido vxorē suam repetere potuit. Quod non licuisset, si aut ab eo semel repudiata nupsisset, aut sua sponte nō reiecta à marito rem cum alio viro habuisset.

Ad alias rationes Diui August. respōdeo quod peccatores sumus, qui quotidie nobis à Domino ignosci petimus, sicut ignoscimus peccantibus in nos, non tollit seueritatem legum quæ in publica crimina iubent animaduerti. Nam si hæc ratio valere debet in adulterij crimine, valeat quoq; in latrocinio, & in parricidio consequēs erit: quæ innulta manebūt si latronem aut parricidam pœnitere contigerit. Nulla est ratio cur potius pœnitenti adulteræ ignoscēdum sit, quàm pœnitenti parricidæ aut latroni. Magnum discrimen est inter publica crimina quæ legibus vindicantur, & priuatas offensiones, quib. in nos priuatim peccatur. Vltionem expetere alienum est ab eo qui diligere tenetur inimicos & benefacere ijs qui oderunt eum: sed quod in Deū & in Leges Diuinas & humanas peccatur, nemo condonare potest nisi Deus & illi quos ipse custodes legum constituit. Si priuata esset in maritum offensio, vt in quam plurimis mulier maritum offendere potest facilis quoq; esset veniæ ratio: sed vt iā docuimus,

cuimus.



cuimus, non in vnum tantum maritum, verum etiam in ipsam Rempub. atque in totam mariti cognationem peccatur. Reconciliatio veniaque peccati, quo simul plures læduntur in voluntate vnius eorum, nulla æquitate collocatur.

Adulterium ciuile quod legibus tam diuinis quam humanis est capitale, multos tangit: præterquam quod in Dei legem & maritum peccatur, iniquitas facti ad Rempub. & totam mariti cognationem pertinet, quibus omnibus vir qui recipit in gratiam aut qui retinet adulteram, facit iniuriam.

Quod in Deum peccat adultera vera pœnitentia delet: quod verò in Rempub. & totam mariti cognationem peccatur nõ item, nisi accedat condigna satisfactio: quæ in altero horum sita est, vt aut morte luat, aut à marito repellatur, nec vnquam suscipiatur amplius. Deus falli non potest, homines possunt: proinde quod est in hac re ipsis tutius, est eligendum & vbi legum seueritas vt oportet in crimina non animaduertit, aduersus ea retinenda est domestica disciplina.

Quod historiam ex Iohannis 8. capit. attinet, nihil aliud probat quam à Domino qui non venerat vt iudicaret aut damnaret quemquam, tanquam magistratus, sed



sed ipse damnandus à Magistratu, mulierem non fuisse condemnatam. Quid enim aliud Dominus qui nullo magistratu fungebatur fecisset? Cæterum quod eos qui mulierem adduxerant, Dominus iusserat si sine peccato essent lapides in mulierem iacere, tacita quædam est occultorum criminum reprehensio, quibus obnoxij erant accusatores adulteræ: docetq; indignum esse adulteram ab adulteris accusari, aut etiam puniri. Pudere quidem indices debet sui quando in aliis crimen damnant & puniunt, quod & ipsi perpetrarunt: eos enim scire oportet, nisi seriò resipiscant, non evasuros iudicium Dei. Sed non idcirco absolvere licet homines noxios, & impunitatem dare sceleribus: non enim id minus apud Deum iniquum est, quam si damnetur innocens. D. August. credit hanc mulierem quam Dominus absoluit, rectè potuisse reconciliari marito: sed lex allegata, similiter & Ieremias apertè contradicunt: quod abominatio sit coram Iehouah, & terra ipsa præuaricando præuaricetur: & ubi hoc fieri permittitur, id instar habeat & pondus peccati quod ab uniuerso populo perpetratur.

Omniū gentium iudicio, ex inculpata diuinitus mortalium mentibus lege, adulteram retinuisse, nota ignominie notatum fuit.



fuit. Romanorum legibus non repudiasse adulteram aut reduxisse repudiatam crimen lenocinij fuit, quod apud eos erat capitale. Imperator Alexander ad l. Iul. de adulterijs D. l. 48. r. s. l. 9. *Castitati meorum temporum conuenit lege Iulia de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perseuerare. Qui autem adulterij damnatam (si quocunque modo pœnam capitalem euaserit) sciens duxit uxorem vel reduxerit eadem lege ex causa lenocinij punietur.* Apud Athenienses infamis erat, qui deprehensæ in adulterio vxoris cõtubernio utebatur. Demosthenes in oratione contra Mœeram, hanc citat legem.

*Lex adulterij apud Athenienses.*

*Postquam quis mœchum deprehenderit, nefas sit ei qui deprehendit illius mulieris contubernio uti sin utatur, infamis esto, neque liceat illi mulieri cum qua mœchus fuerit deprehensus adire publica sacra: si verò adierit, impunè patiatur quidquid citra mortem, pati poterit.*

Lenocinium propriæ vxoris, flagitium esse in benè constituta Repub. non ferendum, nemo mihi spero est negaturus. Audimus gentium iudicio lenonem haberi qui retinet adulteram. Quod cum diuinæ Legi consentiat haud est temerè reiiciendum.

Hebraicæ dictionis qua hoc loco Mo-  
ses vsus



les vsus est inflectione, sicut à D. Beza bene fuit notatum, nescio quid peculiare inest, quo mariti culpa denotari videtur. Nam Deut. c. 24. videtur idem significare quod facta est polluere se: quod Hebraicæ Lingue peritis excutiendum relinquo. Ab hac certè interpretatione non abhorret quod Dominus ait. *Qui dimittit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœcham*: datur enim ei à marito causa prostituendi sese: quæ species est lenocinij.

Quamuis in adulterio mulieris quæ suâ sponte maritum deseruit, aut quæ clam suâ pudicitiam prostituit, nulla sit mariti culpa, turpitudinem tamen incurrit lenocinij, si postquam id rescivit, consuetudinem adulteræ retinuerit, aut ei fuerit recõciliatus. Leges quæ hanc probant recõciliationem sæpius id fieri nolunt: sed quis modum in hac re numerumve præscribat? si adulteriũ in illis peccatis numeratur, de quibus danda venia proximo est, non septies tantum erit ignoscendum, sed septuagies septies. Ecquid aliud hoc erit quam apertum lenocinium, uxorem à diuersis constupratam viris, si pœniteat aut se pœnitere simulat, iterum atq; iterum recipere? Qui semel omnem reditum ad maritum adulteris vxoribus prohibuit, simul omne lenocinium maritorum sustulit.



Ad Patres redeo: vt quid senserint de hac re plenius audiamus. Suffragiorum numero primorum patrum, me vincere monstrare volo. Magno consensu Theologorum veterum tam Græcorum quam Latinorum hæc sententia probata fuit.

*Qui tenet adulteram stultus est & impius:* adeo vt irrepsit ex margine in textum prouerbiorum Salomonis, tam in Græcis quam Latinis codicibus, & pro verbo Dei fuerit habita.

Author operis imperfecti, quod sub Chrysofomi nomine, & inter eius opera extat, habet. *Sicut autem crudelis est & iniquus qui castam dimittit coniugem sic fatuus est & iniustus qui retinet meretricem nam patronus turpitudinis eius est qui crimen celat uxoris:*

Desumptum hoc videri potest ex 18. c. Prouerb. quam similiter sententiam Hieronymus in loco superius à me allegato habet: vt mirum videatur Romanistas reconciliationem vrgere contra tam apertum testimonium scripturæ. Nam ipsis qui vulgaram interpretationem præferunt Hebraicæ veritati, sacra scriptura est, quod in omnibus vulgatis versionibus inuenitur.

Concilium Elibertinum c. 70. grauitè decernit communionem nec in fine dandam esse marito, qui adulteram retinuerit, Canonis verba hæc sunt. *Si conscio marito fuerit mæ-*



*rit mæchata vxor, placuit nec in fine dandam ei esse communionem. Si verò eam reliquerit post decem annos accipiet communionem. Idem Concilium contra Clericos ita statuit. Si cuius clerici vxor fuerit mæchata & sciat eum maritus suus mæchari. & eam non statim proiecerit, nec in fine accipiet communionem: ne ab his qui exemplum bonæ conuersationis esse debent, videantur magisteria scelerū procedere. In his regulis nullā exceptio adiecta est, nisi resipiscat mulier: quod facile potuisset addi, si Patres illi poenitentem adulteram à marito esse recipiendam iudicassent. Commodissimè hoc loco subiici poterat, imo debebat clausula de reconciliatione, si quam debere aut posse fieri cum adultera Patres iudicassent.*

Vndè concludo Patres illos non sensisse licitam reconciliationem cum adultera: & diuortium non fuisse relictum in mariti arbitrio sed præceptum.

Eorum patrum quos iam inter differendum allegavi meæ sententiæ authores, lectorē cupio meminisse: nempe Ambrosij Hilarij, Hieronymi & Basilij quorum nomina & testimonia fulta Dei verbo his accenseri oportet. Quibus & Theodoretum adiungo: qui & Ieremiæ tertij capituli locum hoc modo interpretatur. *Exinde pronunciat uxorem quamcunque, qua recessit*



à viro suo & alteri se iunxit, ad priorem redire non posse lege hoc prohibete. Idem lib. 9. de legibus. Vnam verò copulæ huius dissoluendæ occasionem proposuit, qua penitus nuptialis distraheretur coniunctio. Inquit enim omnis qui dimittit uxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mæchari, & qui dimissam duxerit, adulterat. Quibus sanè verbis cætera uxoris vitia æquo animo ferri iubet, seu loquax sit illa, seu temulenta, seu conuictiosa. Sin verò nuptiarum leges transiliat, in aliumq; virum procax intendat, tunc deniq; copulam solui iubet. Iubet (inquit) non permittit.

Quamuis Patres duriores fuerint in cōcedendo maritis post legitimum diuortium secundas nuptias, plerique tamen omnes secuti sunt Dei legem scriptam Deuteron. 24. & Seruatoris nostri sensum: qui ob scortationem diuortium fieri oportere sanciendo definiuit, quando causam scortationis excepit. Ratio nulla est, quum quod indultum fuerat à Mose in re diuortij Dominus emendet, vt potius maritis concessisse quam præcepisse diuortium, propter vxoris adulterium credatur. Concludo igitur secundum legem in Deuteron. 24. à Deo latam, interpretationemque Ieremiæ, in quibus terram contaminari testatum omnibus seculis relinquitur, si adultera recipiatur à marito, dominicum



minicum sermonem esse interpretandum, ac proinde nefariam esse omnem viri cum adultera reconciliationem. Expedita mihi nunc hæc videtur controuersia: restat vltima: num per diuortium dissoluto matrimonio, vtraque pars vel ea saltem quæ innocens est, ad secundas nuptias transire possit.

**Q**UÆSTIO quæ à nobis nunc disputanda superest duplicem habet difficultatem. Prima est de secundis post diuortium nuptiis. Altera num in hac re potior sit viri quam mulieris conditio. Primò igitur quæritur num partes legitimo diuortio separatæ, & ea maximè quæ est innoxia & à coniuge iniuriam patitur, aut passa est, secundas nuptias viro repudiato aut repudiata coniuge possit contrahere.

Negant Canonistæ & qui simul cum eis nati sunt Scholastici doctores paucis quibusdam exceptis casibus: sed id affirmare verbi Dei authoritas & diuortij natura que suadent imò cogunt. Altera quæstio nascitur ex quadam æquitatis specie, quæ primo intuitu eis qui penitus rem non expendunt sese offert. Iniquum enim videtur in re diuortij aliquid amplius viris quam foeminis concedi.

F 3

Sed



Sed Deo aliud visum est & plerisque omnibus legum rerumq; publicarum conditoribus, quos præcipua quadam sapientia supra cæteros excelluisse memoriæ proditum est, vtrumque nunc à nobis examinandum est. Sed fixa & immota manere quæ de duobus superioribus controuersis ex verbo Dei docuimus oportet: nempe non idem ius adulterij causa esse concessum mulieribus petendi diuortij, quod datum fuit viris propter adulterium: Mulierem esse deterioris conditionis marito in hac re & tam diuina quam humana iura iustis de causis constituisse ne posset de æquali iure cum marito contendere superius à nobis demonstratum est.

Quatenus tamen mulieribus innoxiiis auxilium ferre & earum innocentia succurrere, ac maritorum in vxores crudelitatem & alias quasuis iniurias commissaque in eas adulteria vindicare, bonæ leges debeant, hoc loco nobis dicendum erit. Iniquum esset in magistratus autoritate contra maritos innoxiiis mulieribus nihil esse relictum præsidij.

Quemadmodum duplex adulterij genus constituimus, ita similiter diuortij duplex est ratio. Alterum est quando qui legitimis nuptiis coniuncti sunt tantum à thoro & mensa, & à reliquo vitæ contubernio,



bernio, sine vlla secundi coniugij spe, superstito altero coniugum, separantur.

Quæ separatio catachresticos & improprie dicitur diuortium: & incognitum fuit olim tam Iudæis quam Gentibus: apud quos diuortium secundi coniugij ius & potestatem si non semper vtrique saltem alteri coniugi attulit.

Alterum quando ita separantur, qui veri fuerant coniuges, vt secundo matrimonio sit locus.

Quod diuortij genus tametsi Canonistæ prorsus tollere conentur, illud tamen retinere in plerisque casibus coacti sunt & concedere tam foeminis quam viris novas nuptias, dum tamen adhuc viuit maritus vel vxor, quæ diuortij causam sua scortatione dedit.

Sed antequam vltius progrediar differentiam notam velim inter diremptionem matrimonij & diuortium: quod illa fiat inter personas, quas matrimonio iungi lex Dei scripta & ipsius naturæ vetant: vt si frater fratris vxorem, aut auunculus patruusue neptem, gener socrum, aut priuignus nouercam aut præuignam vitricus sibi connubio iungerent: Hoc verò inter eos accidat, qui licitas contraxerunt nuptias diuinis legibus & humanis firmas



acratas. Priores illas nuptias incestas dicimus: quæ nunquam cum fuerint legitimæ nec esse possint, diuortio non dicuntur separari, sed dirimi: hoc est nullas irritas & nefarias esse, declarari: possuntq; dirempti alias nuptias liquido contrahere.

Quando de diuortij iure quæritur, legitimum matrimonium præcessisse intelligitur: quod aut totum dissoluitur, quando reconciliari coniuges non possunt, aut tantum separantur à mutua vitæ consuetudine quando reconciliari posse sperantur. Et præcipua nostra cõtrouersia est, num propter adulteriũ facto diuortio maritus possit aliam vxorem ducere. Negant vt dixi Canonistæ, quia credunt adulteram viro suo posse reconciliari, & adulterio vinculum matrimonij non abrumpi: sed illo vinculo sicut & mulier teneri quamdiu eorum alter viuit. Diuortium quidem facere cum adultera licere marito confitentur, sed in genere diuortij erratur.

Nos claris scripturæ testimoniis in superiori disputatione mōstrauimus adulterio vxoris vinculum matrimonij totaliter abrumpi: adeò vt idcirco marito vxorem illicitam fieri Deus lege sanxiuerit. Seruatorẽ autem nostrum certum est temeraria & voluntaria Iudæorum diuortia, qualia passim apud Iudæos & Gentiles fiebant, damnasse.



mnasse. Ea verò non tantum vitę societa-  
tem & contubernium soluebant sed nouas  
admittebant nuptias. Erat enim diuortij  
genus quod Canonicis placet, & tantum à  
thoro & mensa coniuges separat, tempori-  
bus illis ignotum: vt prorsus sit absurdum,  
Domini verba quibus diuortium in causa  
adulterij præcepit, de alio diuerso diuortij  
genere, ab illo de quo fuerat interrogatus  
& tunc erat in vsu, interpretari.

Rationes & argumenta quibus addu-  
cuntur vt credant Cononistę vinculum  
matrimonij non penitus adulterio rumpi  
hec sunt. Primum *Mulier qua viro subiecta est  
per legem alligata est viuentem viro, si mortuus fue-  
rit vir soluitur à lege viri. Itaque viuentem viro  
adultera vocabitur, si fiat alterius viri: si moria-  
tur vir libera est à lege, vt non sit adultera si viri  
alterius facta fuerit vxor.* Quod hic de mulie-  
re dicitur pariter (inquires) de viro intelli-  
gendum est, cum alligatum esse vxori, dum  
illa viuit. Item vinculum vtrumquę equali-  
ter astringit coniugem. At illud sola mor-  
te soluitur non sunt igitur secundę nuptię  
licitæ.

Secundum argumentum ducitur à di-  
cto Seruatoris. *Quod Deus coniunxit homo non  
separet.* Et Apost. ad Corinth. scribens ait.  
*Matrimonio iunctis præcipio nõ ego sed dominus,  
vxorem à viro non discedere. Si verò discesserit*



*maneat inupta, aut viro suo reconcilietur. Et vir uxorem non dimittat.* Quem Pauli locum D. August. hoc modo interpretatur, ut si discesserit causa scortationis mariti, quod mulieri concessum arbitratur, maneat inupta aut reconcilietur marito. De viro similiter idem intelligendum uxorem non dimittat, nisi fortè causa scortationis, quod licere constat, sed intelligit eum debere manere sine uxore aut reconciliari uxori suæ adulteræ.

*2. Argum.* Deinde. *Qui dimissam duxerit* (inquiunt) *mæchatur.* Id à Domino absolutè dicitur de quavis à marito dimissa uxore, tam causa scortationis quam quavis alia. Verisimile enim non est, dimissam propter adulterium meliore conditione Dominum esse voluisse muliere innocente, quàm mariti duritia eiiciebat, ut illa posset nubere, hæc vero non posset. Apparet igitur matrimonij vinculum quo deuincta tenetur marito mulier, non abrumpi adulterio.

*4. Argu.* Præterea Hieronimus in Commentariis in Matthæum ubi marito reconciliatorem omnem cum adultera tollit secundas nuptias marito non permittit. Eius verba hæc sunt. *Et quia poterat* (inquit) *accidere ut aliquis calumniam faceret, Et innocenti ob secundam copulam nuptiarum, adulterij crimen impingeret, sic priorem dimittere iubetur uxorem, ut*  
*secun-*



*secundam prima viuentem non habeat. Quod enim dicit tale est. Si non propter libidinem sed propter iniuriam dimittis uxorem, quare expertus infelices priores nuptias, nouarum te immittis periculo?*

Non infero canones 32. q. 7. c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *5. Argum.*  
& alios plures qui ex vno D. Augustino desumpti sunt de cuius sententia superius à nobis disputatum fuit.

Sed Concilij Milenitani can. 17. maius *6. Argum.*  
habet pondus: quo ita decretum fuisse legitur. *Placuit ut secundum Evangelicam & Apostolicam disciplinam, neq; dimissus ab uxore, neque dimissa à marito alteri coniungatur: sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quod si contempserint ad pœnitentiam redigantur.* Hoc concilium (cui Augustus interfuit) apud omnes orthodoxos magnæ fuit semper auctoritatis; & suscipiendum est cum omni reuerentia quidquid in eo à patribus Africanis fuit decretum.

Verùm antequam particularius respondeam ad singula quæ nunc commemorata sunt, repeto quod iam pluries inculcaui: quod quando Dominus secundum legem 24 capitis Deut. per Mosen latam, causam fornicationis in diuortio excepit, rem in arbitrio mariti non posuit, sed necessitatē priorem diuortij cum adultera, in memoriã reuocauit: quæ semel polluta adulterio, viro suo



tuo non secus fit illicita, quam si incestu foedata esset. Numeratur enim (velint nolint Canonistæ) cum adultera recôciliatio inter abominations, quibus tota aliqua regio contaminatur, non secus quam abominations quæ recensentur Leuitici 18. cap. Deindè plenè absurdum est aliud comminisci diuortium, quam quod temporibus illis, moribus & vsu erat receptum: & tunc tùm ab Apostolis, tùm à Pharisæis aliisque auditoribus fuit intellectum. Qui omnes si viuerēt & interrogari possent, nihil aliud responderent, se intellexisse, quam diuortium à Domino fuisse exceptum causa fornicationis, quod ipsi nouerant, & à patribus acceperant.

*Res. ad 1.  
Argu.*

Ad Pauli locum respondeo inquirendam esse legem, quam D. Paulus citat, & quare non æquè dixerit, maritus qui subiectus est vxori, per legem alligatus est, viuenti vxori, si mortua fuerit vxor, soluitur à lege vxoris. Itaque viuentem vxorem adulter vocabitur, si fiat alterius vxoris: si moriatur vxor liber est à lege, vt non sit adulter si alterius vxoris factus erit maritus. Quid enim Paulo in mentem venit si par vtriusq; mariti & vxoris est ratio, cur potius legem de vxore citauerit quam de marito? Quænam hîc allegatur nota Iudæis lex? Vbi extat? Inquirenda hæc lex est & videndū num ea pos-



ea possit aptari viro. Quod quia neglectum fuit à scientibus legem, aut ab iis quos legem illam scire oportuit, non mirum si aberratum à veritate sit. Primum in nouo & veteri Testamēto maritus nusquam ὑπογυ-  
 ναίῳ dicitur sicut vxor ὑπάρχει. Si quis lo-  
 cum requirat ad quem Paulus respexisse mihi videtur, citabo Gen. 3. c. 16. verba Do-  
 mini ad mulierem quibus subiectio mulie-  
 ris in seruitus significatur. *Ad virum (ait mulieri Dominus) erit desiderium tuum, vel appetitus tuus, ipseque dominabitur tibi:* hoc est: tibi nihil aliud appetendum erit, nisi quod volet maritus tuus: quibus verbis negat eam fore liberam, ac proprii iuris: sed mariti imperio addictam, vt ab eius nutu pendeat: Hebræis hæc locutio familiaris est: desiderium alicuius esse ad alterum, pro alterius arbitrio subiectum esse. Vna Græca vox ὑπάρχει hoc eleganter significat, & facit vt iudicem. Paulum ad pœnam illâ peccati respexisse qua mulieri seruitus imposita fuit: & ab eo, citari legem mulieri peculiarem: illam nimirum, quàm pluries citauimus ex Deuteronom. qua mulier à marito reiecta nuptiis secundis polluta dicitur.

Illam certè lege manifestum est, ita fuisse deinctam marito mulierem, vt nec demissa cum diuortij libello, alteri bona con-  
 scien-



scientia nubere viuentē marito potuerit. Vir interim adulter erat dimissæ vxoris qui secundam tertiamuē domi vxorem habebat. Qui tamen non adeò pollutus suo illo adulterij genere censetur, vt prohibeatur post scortationem redire ad eam, quam eiecerat. Et si id fiat terra non dicitur contaminari, sicut de adultera quam maritus recepisset: intollerabilis tunc æquē fuisset vxorem pluralitas, ac maritorum. Polygamiam Israelitarum inter nefandas abominations, quibus totæ regiones conscelerantur Deus non habuit. Vnde hæc lex nota fidelibus Iudæis tempore Pauli in viros non intelligitur lata sed tantū in mulieres.

Nunquam maritus fiebat vxori suæ solo adulterio illicitus: quamdiu se continebat vxor, poterat marito suo quantumuis adulterio, reconciliari; non autem contra semel adulterio polluta mulier, potuit ad maritum redire. Hinc dimissa à marito, vt illa quæ ab eo discessisset sua sponte manere innupta iubetur, aut viro suo reconciliari, quod de viro non legitur: vtpote cui sua vxor per adulterium potuit fieri illicita. Et iniquum erat, vt maritus peccatum vxoris adulteræ lueret. Idcirco quando vxorem dimitte prohibetur, non fuit additum si dimiserit maneat viduus aut vxori suæ reconcilietur: quia per legē adulteram debuit reijcere,



hæc, nec fuit ei integrum eam post recipere. Peruersè omnia quæ Paulus de solis scripsit mulieribus trahuntur ad maritos.

Dura hæc conditio mulieris si cui videtur, cum Deo disputet: & nouerit viro thori sociam propter peccatum seruituti, iusto decreto Dei addictam, & lōgè aliā esse conditionē Domini, aliā ancillæ: & propter virum mulierē fuisse creatā, non autem virum propter mulierē: & post lapsum hanc subiectionē seu seruitutē in peccati pœnā impositā esse mulieri, ne quis dicat: Ecquæ hæc est equitas vt innocens mulier dimissa siue derelicta à marito scortatore innupta maneat, & peccatum adulteri mariti luat? Sed Dei iudicia malè examinat quisquis ita loquitur. Dicat mihi quare fastidia nouē mēsiū partus dolores & cruciatus & alias erumnas Deus mulierib. imposuerit, quibus & hæc accedit seruitus, quum in procreatione prolis nihil patiat vir? Has peccati sui pœnas nō iniuste omnis mulier patitur quæcunq; viri vxor est. Quod ita dictū non debet accipi, quasi crudeles & Tyrānos in vxores maritis esse liceat: sed si fortè tales fuerint ferēdos esse sicut verbū Dei aptè docet mulieres sciāt quidq; alij cōtra sentiāt. Dico igitur ad argumentū ab autoritate Paulinæ sententiæ dictū, ipsius verbis vim fieri, & q̄ de solis mulierib. dicta intelligi uult malè



malè viris aptari, tanquam maritus illi legit sit subiectus, quæ soli mulieri imposita est.

Idem quidè vinculum coniuges astringit & simul conglutinat, sed diuersa ratione: nempe maritum tanquam Caput & Dominum, qui mulieri imperet, & mulierem tanquam corpus & ancillam, quæ viro in omnibus rebus honestis pareat. Non enim pares idem vinculum pari modo obligat: sed valdè impares: modo admodum dispari. Obligatus est vir vxori, sed tanquam Caput & Dominus ancillæ: obligata est vxor marito sed tanquam corpus & ancilla Domino & Capiti. Diuortium voluntarium quod per Mosen marito fuit concessum longè eminentiorem arguit maritalem auctoritatem, nec pari vinculo fuisse virum vxori suæ obligatum qua ipsa tenebatur viro: dimissam enim verba Domini esse oportuisse manifestè docent sine secundarum nuptiarum potestate quia si nupsisset mulier, polluebatur adulterio: nec enim liberabatur dimissa à mariti iugo, nisi sola ipsius morte. Maritus tamen qui aliam ducebat vxorem adulter erat in eam quam dimiserat.

Hoc autem diuortij genus, quando Dominus illicitum esse iudicauit, & ob hanc causam quia vterquè coniugum nouas incundo nuptias polluebatur, non esse diuortium



uortium definiuit, & aliud licitum admisit: nempe propter adulterium vxoris, in quo saltem maritus innocens nihil peccaret si secundam duceret vxorem: Separatim si tunc vixissent dato diuortij libello coniuges absque nouis nuptus quod potuisse negari non potest ab adulterij peccato puri tuissent: Sed hanc separationem coniugum absque noui connubij potestate nemo tunc diuortium iudicauit: in diuortio ius noui matrimonij credebatur inesse, Quod certe Dominus confirmauit quando adulteriũ mulieris in diuortij negocio excepit.

Quod nunquam fecisset si post legitimam separationem factam propter adulterium æque absque nouarum nuptiarum iure ex ipsius sententia viuendum esset atque in voluntario diuortio. Discrimen hoc modo nullum inter voluntarium diuortium & legitimum esset. Idonea ad hunc Pauli locum responsio non est quæ ait. Paulum hoc loco non agere de diuortio: satis est quod vinculum notat, quo mulier marito deuincta tenetur, nec diuortio ab eo absoluitur, sed sola mariti morte vt necessario sit adultera, si nupserit alteri viro antè mariti mortem. Quæ hinc vltèrius ad virum progreditur argumentatio, humana & fallax est ratiocinnatio contra Dei verbum absque Dei verbo.

G

Ex



*Resp. ad 2.  
Argum.*

Ex verbis illis Domini, *Quos Deus coniunxit homo non separet*, nihil conticitur. Nā propter adulterium vxorem marito fieri prophanam Deus lege lata indicauit, quæ separatio nō ab homine fit, sed ipsomet Deo. Respondeo igitur cum Isodoro. *Quos Deus coniunxit homo non separet. Quæris quomodo? subaudi violenter sine lege absq; ratione, quos Deus coniunxerit, homo non separet. Non enim homo separet, quos Deus condemnat, quos reatus accusat, quos maleficiū coarctat. Propter adulterium igitur capitale, quos Deus coniunxit, non homo, sed Deus ipse separet.*

Ad locū Paulin. Matrimonio iunctis præcipio non ego sed Dominus, iam respōsum est quando supra docuimus à marito fornicatore mulierem ius non habere diuertendi. Si causæ subsint (vt plures legitimæ possunt accidere) propter quas mariti contubernio non possit nec debeat vti vxor, per me manebit innupta. Generalis hæc lex est, consentiens cum illa quæ ex eodem Apostolo ad Romanos exposuimus, viuentem viro vocabitur adultera, si fiat alterius viri vxor: nec enim adulterio mariti nec desertione fit libera: id demum sola mariti morte consequitur. Qui desertione & adulterio mariti vinculum matrimonij solui affirmant, nullo id nec verbo Dei, nec exemplo docebit. Nihil hodie differt à repudiata libello



libello Iudaici diuortij ea quam hodiè maritus deseruit, illa nubere bona conscientia non potuit, igitur nec ista. Demissè olim apud Iudeos sine libello repudij nubere non poterant: accepto autem codicillo, iure civili permittebatur quod bona conscientia apud Deum non licebat. Quod illam licentiam Dominus abrogauit, nō facit vt à marito desertæ liceat, quod sub lege non licebat. Et ex hoc Pauli loco probatur quidem, mulierem manere viro obligatam, quamdiu is viuit: & diuortium quodcunq; intercedat, mulieri potestatem non facere nubendi alteri, quamdiu ipse maritus viuit. Sed alia est causa mariti, de quo dictum est: cum nedum posse, sed teneri diuortium facere cum vxore adultera: diuortium (inquam) Iudaicum vltu receptum inter Iudeos: id est cum potestate accipiendi aliam vxorem si velit. Non enim sicut mulierem viro, ita seruilem in modum etiã maritum Deus addixit vxori.

Extrà controuersiam est dimissam voluntario mariti diuortio non potuisse olim secundo nubere marito: quia coniugij vinculum quo deuincta adhuc tenebatur priori marito non erat ruptum. An autem in matrimonium ab alio possit duci adultera, qua iam facta est viro suo illicita, verbū Dei expressum de hac re nullum quod sciam

G 2 extat,

*Resp. ad 3.  
Argum.*



extat, nisi illud. Mulier lege deuincta est uiuenti viro, si moriatur vir libera fit à lege alias non satis apta esset cõparatio Apostoli proposito. Si à iugo mariti seipsam liberare posset, aut flagitio suo adultera, aut alio quopiam modo casta matrona, vtpote adulterio mariti vel desertione concideret Pauli argumentatio. Tota vis Paulinæ ratiocinnationis nititur in hoc, quod sola morte mariti liberetur mulier, vt liquido secundas possit inire nuptias. Repudiatam vero causa scortationis à marito melioris conditionis facere quàm innocentem, perabsurdum est. Quanta hæc esset ad omnem nequitiam aperta fenestra, si impudicis & reiectis propter adulterium nubere liceret, quum à duro & crudeli marito eiectione domo vel desertis castis matronis illicitæ sint secundæ nuptiæ? Impudens meretrix mariti iugum sic facile adultero suo excuteret. Romanorum iure adulterij damnatam nec in vxorem ducere nec reducere licuit, ad legem Iul. de adulteriis d. l. 48. tit. 5. l. 9. quam supra citauimus Imperator Alexander ait. *Castitati meorum temporum conuenit, lege Iul. de pudicitia damnatam in pœnis legitimis perseuerare.*

*Qui autem adulterij damnatam ( si quocumque mode pœnam capitalem euaserit ) sciens duxit vxorem vel reduxerit, eadem lege ex causa leno-*



*lenocinij punietur.* Ne adultero nubat mulier legitimo viro mortuo nulla Dei lege prohibitum legimus.

Sed quod longè maximum est, deuinctam marito dum is viuit mulierem permanere quæcunque illa est, Deus lege sancit. Generaliter enim dictum est, sine vlla exceptione.

*Quæ subiecta est viro mulier, viuenti viro deuinctæ est per legem: quod si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri. Proinde viuenti viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri, quod si mortuus fuerit vir eius, libera est à lege vt non sit mœcha si fiat alterius viri.*

Nihil dici potuit apertius: nihil quod minus possit calumniam admittere. Non enim dixit si mœchatus fuerit vir eius, liberata est à lege vt non sit mœcha, si fuerit alterius viri: nec id alicubi in verbo Dei extat. Quod si quis suo ingenio fretus, alicunde iuferat vxorem à mariti iugo liberari scortatione aut desertione mariti, vt nubere possit secundo viro, falsus fuerit Apostolus, quando dixit, viuenti viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri, falsus fuerit quando dixit, mulier viuenti viro deuinctæ est, falsus fuerit quando vnam tantum rationem libertatis obtinendæ à viro iugo posuit: nempe viri mortem, cū sint plures. Sed legi diuinæ nihil ex humana præsumptione



ptione addendum aut detrahendum est. Propter hanc legem, ex lege 24. c. Deut. deductione necessaria deducta, nec illę mulieresque à maritis scortatorib. eiectę erant cū libello repudij nubere, nec duci vxores, sine adulterij crimine poterāt. Propter hanc legem primę vxores viros suos qui secundas tertias quartas plureluè accipiebāt vxores repudiare, aut ab eis discedere non poterant: nimirū q̄ sint ὑπερδουλοί: id est imperio & potestati alienę subiectę. Consequens igitur est, mulierem nulla scortatione nec sua nec mariti, nullo deniq; libello diuortij vel desertione liberā constitui, vt viuo marito possit secundo nubere: sed indè nō rectè infertur maritū eadē teneri lege, quę Domini voce ab adultera liberari cōstat. Si qñ tñ peccato suo maritus scortando fieret nefarius vxori suę, q̄ accidere potest si aut suā priuignam, aut locrū ex illo matrimonio constupraret, alia est ratio.

Quamuis nullū expressum Dei verbū, diuortiū in hoc casu decernat, quādo quid sit licitū, quid illicitū apertè definit, diuortiū necessariū satis intelligendum relinquit, vt mulier recedere à viro debeat qui seipsum reddidit vxori suę illicitū. Nec improbandos esse canones arbitror, qui cēsēt ad secundas nuptias mulierē transire posse, cuius maritus cū eius cōsanguinea incestū cōmissit.



sit. Hæc. n. præcipua cã est, cur marito ver-  
 bũ Dei cõcedat secundas nuptias adultera  
 reiecta: q̃ sua impudicitia mulier seipsam  
 marito reddiderit illicitã: vt postea ipsã ac-  
 ciperet nõ possit. Quod si attẽtius expẽsum  
 fuisset ab authorib. canonũ, qui secundas nu-  
 ptias maritis negãt post diuortiũ cũ adulte-  
 ra, idẽ sentirent de diuortio p̃pter adulte-  
 riũ, q̃ sentiunt de diuortio p̃pter incestũ,  
 quo maritus adulter nefarius fit vxori suæ,  
 vel vxor constuprata à mariti filio, vel fortẽ  
 parẽte fit viro suo incesta. De viro qui ince-  
 stũ cõmisit cũ vxoris consanguinea, nõ ha-  
 beo q̃ statuã: & scio fallacẽ esse argumenta-  
 tionẽ à lege q̃ mulieres astringit, ad obligã-  
 dos similiter viros nisi aliudẽ probetur ob-  
 ligatio. Tamẽ viri incesti meliorẽ facere cõ-  
 ditionem q̃ mulieris adulteræ, ego non au-  
 deo. Vt olim nõnulli ex patribus, & quidã  
 Canones de cõtinentia statuũt, ac si esset in  
 cuiusuis arbitrio posita, quemadmodũ sunt  
 res externæ, aurũ & argentũ, vestes & edu-  
 liorũ genera, ita hodiẽ pleriq̃ Theologi de  
 ea scribunt, tanq̃ illud Dei donum nemini  
 cõtingere possit. Vnde fit vt nulli aut certẽ  
 p̃pauci ad illud aspirẽt, & pleriq̃ illud obti-  
 nere diffidant. Quantũ aut̃ rigoris, discipli-  
 næ cã, coercẽdis incestis & adulteriis, cẽsu-  
 ra Ecclesiæ adhibere debeat vel qm̃ lenita-  
 tis, indulgentia, subleuandæ imbecilitatis



humanæ causæ, vt labatur in deterius, meū non esse arbitror præscribere: legitimè cōuocatis generalibus Cōciliis, hoc determinandum relinquo.

*Resp. ad 4.  
Argum.*

Ad Hieronymum venio, qui timet, ne si secundæ concedantur nuptiæ viris post necessarium diuortium, quod ex lege Dei 24 Deu. rectè colligit fieri oportere, ne per calumniam opprimantur innoxia mulieres, quoties maritos inceserit nouæ cōiugis cupido, & respondeo bonis legibus obuiam iri posse calumniæ: diuortium in vnus mariti arbitrio nō est positum: & accusatio adulterij non magis marito præbet causam calumniæ contra vxorem, quam veneficij. Et ex eadem causa prius instituere actionem iuberi potest cōtra adulterium, si possit haberi: sin aufugerit aut latitet culpæ magnum est signum. Absens tamen Reip. vel priuatę causa adulter, non debet impedire accusationem contra adulteram. Sed falsum supponit Hieronymus, quod ita iubeatur à Domino dimitti adultera vxor, vt secundam illa viuente non habeat. Verba Domini non id significant. Quando dixit Dominus qui dimittit vxorem suam, & aliã ducit mœchatur, certum est ipsius verba quæstioni propositę respondere, quę nihil de adultera interrogauit, sed de reiecta quauis alia de causa, ex solo viri arbitrio:  
vlte-



ulterius qui verba Domini extendunt, vim  
 ipsis adferunt. Ex eodem nascitur errore,  
 quod periphrasticos Domini verba inter-  
 pretatur, & perinde esse ac si Dominus di-  
 xisset: Si nō propter libidinem sed propter  
 iniuriam dimittis vxorem, quare expertus  
 infœlices priores nuptias, nouarum te im-  
 mittis periculo? Hæc ratio non deterret ar-  
 cetuè eum, qui repudiat vxorem tantum à  
 secundis nuptiis, tantisper dum viuet repu-  
 diata: sed omnino ab omnibus nuptiis, et à  
 mortua vxore repudiata. Quam inualida  
 hæc est ratiocinnādi forma, simili demon-  
 strabo. Dicat aliquis. Quid mortua vxore  
 quam expertus es morosam superbā, pro-  
 fusam, maledicam, iurgiosam, rei domesti-  
 cæ negligētē sine vllō erga communem  
 prolem amore aliam quæris? cur liberatus  
 à quotidiano domestico malo, aliud nouū  
 tibi vltro accersis? vt demus hæc non orato-  
 rio more exaggerata, sed esse vera, respōde-  
 ri poterit: Quod mihi mala mulier obtigit,  
 casus fuit non necessitas: melior esse pote-  
 rat: ex vna, malè de vniuersis iudicium fit:  
 spero meliorem. Quid si proba, modesta,  
 benigna, morigera marito in omnibus, so-  
 llicitam curam domus habēs, & liberorum  
 amantissima fuisset mea, vxor (talis enim  
 esse potuit) quid (inquam) mihi author es-  
 ses: vt spem nunc habeo melioris coniugij,

G 5      ita



ita tunc deterius possem metuere. Bonæ istæ rationes valent apud eos, quibus cœlebs vita placet, non quibus necessarię sunt nuptiæ. Posset quispiam priuatim sibi pro-ut esset affectus, huius generis rationibus persuadere aut dissuadere matrimonium: in vniuersum autem ex eis nihil potest cõstitui. Quocirca non rectè mihi Domini verba, nec ex ipsius mēte, interpretari Hieronymus videtur.

Ad Canones 32. q. 7. citatos ex Augustino responsum fuit ex ipsius verbis: nempe ipsum dubium & incertum de hac re disputasse, inquirendo verum, potius quã adfirmando. Et hæc deploranda est humani ingenij peruersitas, quod pronior in eã partē sit, quæ à vero deflectit, quã in ipsam veritatē: vt quæ patres differendo de controuersis sui temporis scripserunt citra vllã certã definitionem pro certis & orthodoxis dogmatibus cupidinis arripiantur, quã ea quę credēda necessariò sunt, & ex verbo Dei expresso docuerūt. In ipsas sacras literas intentã semper habendã esse mentem, Patres vbiq; nos admonent: & tãtum scriptis eorum adhibendũ esse fidei, quantũ ex sacris & diuinis scriptis desumptę rationes cõvincūt. Atqui D. Aug. rationes & ex verbo Dei tacita testimonia non efficiunt quantũ ego videre possum, quod docendum adsumit  
sicut



sicut superius à nobis est disputatum quare offendi nemo debet si ab eius dissentiat sententia.

Concilium Milenitanum suspicio & veneror; simul & omnes Patres qui interfuerunt, in primis Augustinum. Sed Canone illo 17. nihil continetur, quod mihi aduersetur: utpotè qui nullam faciat diuortij propter adulterium mentionem, de quo nostra est controuersia. Euangelica & Apostolica doctrina liberat maritum ab vxore adultera, & cum ea reconciliationem lex Dei non admittit: & laudatæ gentium leges id esse lenocinium interpretantur: sed cum innumeræ sint dissidiorum causæ præter scortationem, ob quas offensi utroque se demittunt, vel coacti ab inuicem diuelluntur coniuges quum maneat inter eos coniugij vinculum, iure prohibentur, qui ita ab inuicem discesserunt, & separati sunt, à nouis nuptiis. Quamdiu sperantur coniuges simul redire posse in gratiam, nihilquè obstat quo minus vna pariter habitare & viuere queant, omni studio laborandum est, ut reconcilientur, & simul uiuant uti decet coniuges. Si verò non possint, aut nolint, mancant absque spe coniugij.

Postquam argumentis aduersariæ sententiæ responsum est, mea mihi sententia ulterius comprobanda est. D. Ambrosius  
sum-



summam eorum quæ iam disputauimus in commentarijs super cap. 7. prioris Epistolæ ad Corinth. paucis complexus est. Ipsius hæc verba sunt. *His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego sed Dominus: Postquam innuptis & viduis locutus est, hos alloquitur qui matrimonio iuncti sunt ore Dominico: uxorem à viro non discedere, quod si discesserit manere innuptam. Hoc Apostoli consuetum est, ut si discesserit propter malam conuersationem viri, iam innupta maneat. Aut viro reconciliari. Quod si continere se (inquit) non potest, quia pugnare non vult contra carnem, viro reconcilietur. Non enim permittitur mulieri ut nubat, si virum suum causa fornicationis dimiserit, aut Apostasia, aut si illicite impellente lasciuia usum querat uxoris. quia inferior non omnino hac lege utitur qua potior. Si tamen apostatet vir, aut usum querat uxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum. Et virum uxorem non dimittere. Subauditur autem excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens, sicut de muliere, quod si discesserit manere sic: quia viro licet ducere uxorem si dimiserit uxorem peccantem: quia non ita lege constringitur vir sicut mulier. Caput enim mulieris vir est.*

Quæ disputauimus hætenus, huic Ambrosij sententiæ consentanea sunt omnia & simul coniuncta huius controuersie veritatem manifestè demonstrant. Confutando contrariam sententiam, non potui non argumentis



mētis meam docere, quibus & hīc suus locus est: ea repetere nihil attinet: quod tantum leuiter attigi, paulò pluribus est repetendum.

Canonistas, quos habeo aduersarios, nuptias concedere secundas innocenti coniugi dixi, quando eorum alter adulterium perpetrat, quod lege diuina est incestum utpote quod cum consanguineo vel consanguinea alterius committitur coniugis. Est enim hoc verum quod docent, & ex Dei verbo desumptum. Ea quæ lege naturæ vel Dei impediunt connubium iungendum, coniunctum etiam dirimere: fit enim incestu vterque coniunx sibi nefarius. Stuprata Iacobi concubina ab ipsius nato Ruben, ei facta fuit illicita. Thamar nurus Iudæ ab eo violata tradi filio ipsius postea nō potuit. Ab Absalone Davidis vxores adulteratæ non potuerunt postea ab ipso in familiaritatem pristinam recipi. Sacra historia narrat eas fuisse reclusas. Et in decretis Gratiani Zacharias Papa rescribit. *Concubisti cum sorore vxoris tuæ? si fecisti neutram habeas: & si illa quæ vxor tua fuerit, conscia sceleris non fuit, si se continere non vult, nubat in Domino cui velit. Tu autem & adultera sine spe coniugij permaneat: & quamdiu vixeritis, iuxta preceptum sacerdotis pœnitentiam agite. & c. 9. Quædam cum fratre viri sui dormiuit: decretum est ut adulteri*



adulteri nunquam coniugio copulentur: illi verb  
cuius uxor stuprata est licita coniugia non negen-  
tur. & ex Concilio Triburienti legitur. Si  
quis cum nonerca sua dormierit, neuter ad coniu-  
gium potest peruenire sed vir eius potest si vult  
aliam accipere si se continere non potest. Similiter  
si quis cum filia sua vel cum sorore uxoris sua  
dormierit obseruandum est.

Confirmatur ex Concilio Mogunti-  
nensi Can. Si quis viduam. Qui propinquam  
sanguinis uxorem ducunt & separantur, non li-  
cebit eis quamdiu utrique viuunt alias uxores sibi  
in coniugio sociare, nisi ignorantia excusentur. Et  
c. 5. Si quis cum matre & filia fornicatus est igno-  
rante matre de filia & filia de matre, ille nunquam  
accipiat uxorem: ille verò si voluerint accipiant  
maritos. Si autem hoc scierant ipsa faemina absque  
maritis perpetuò maneant. Ex Concilio Vrbani  
Papæ in Apulia habito. Si duo vel tres viri  
consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel i-  
psimet forte confessi fuerint coniugia dissoluantur.  
Si verò neutrum cõtigerit, Episcopi eos per baptismũ,  
per fidem per iudicium Christi in vera obedientia  
obtestentur, quatenus palam faciant utrũ se (sicut  
est fama) consang iineos recognoscant, si negauerint  
sibiipsis relinquendi sunt: ita tamen, ut si aliud in  
conscientia habeant, se à liminibus Ecclesiæ, à cor-  
pore & sanguine Domini à fidelium communionem  
nouerint segregatos atq; infamos effectos donec ab  
incesti facinore desinant. Si se Episcoporum iudicio  
segre-



*segregauerint si iuuenes sunt, alia matrimonia cō-  
trahere non prohibeantur.* Hæc à me citantur,  
vt quiuis lector nouerit incesto matrimo-  
nio dirempto nuptias nouas cōcedi inno-  
xiis coniugibus, & ignaris incestus admissi.  
Et eos qui prudentes audent incestum ini-  
re coniugiū, aut initū incestu contaminare  
multari indicta perpetua à nuptiis continē-  
tia, quā rectè ipsi uiderint: mihi sufficit hinc  
doceri totū adulterio incesto vinculū ma-  
trimonij abrumpi, & coniuges sibi fieri sce-  
lestos; adeò vt reconciliari nequeant: & eā  
ob rem innocenti nuptias nouas dirempto  
legitimè matrimonio cōcedi. Superius me  
docuisse arbitror ex verbo Dei & Patrum  
scriptis eiusdem naturæ cū incesto, quod-  
uis vxoris adulterium esse marito: ac proin-  
dè eadem censi lege.

Sed iniquior fortè videor mulieribus,  
quibus eadē diuortij iura nego, quibus viri  
tām diuinis quàm humanis legibus vtun-  
tur, ignoscant mihi qui ita iudicant: quid a-  
liud itatui ex verbo Dei possit, ego non in-  
uenio. Nihil ego adhuc legi apud eos qui  
paria iura constituunt viri & vxoris, præter  
humanas rationes sine verbo Dei & prisca  
iuris æquitate natas ex quadam cōmiser-  
atione erga sexū scēmineū, vbi non oportuit  
contempto sexus conditionis discrimine:  
quæ tamen ingentem differentiam tum in  
omnibus



omnibus vitæ partib. cum imprimis in hoc flagitij genere, propter quod diuortium nalcitur adfert. Non conueniunt nostri seculi mores (quod deplorandum est) cum priscorum iudicio & sapientia: In familiis Patrisfamilias in duobus præcipuis capitibus labefactata est authoritas, nempe maritalis & pãtria. Qua autem Reipublicæ utilitate & Ecclesiæ ædificatione alius iudicandum relinquo.

Quamuis fœminis eadem iura diuortij quæ viris non concessa putem, scortationē tamē maritorum, & vxorum desertionem non probō, nec aduersus vtramque iniuriã nihil fœminis esse remedij præter patientiam contendo: Conditionem earum sic miseror, vt non à veritate verbi Dei commiseratio meum inflectat animum: Quod legum diuinarum & humanarum æquitas statuit, me lecutum arbitror: non vt impunitas detur libidini, & crudelitati maritorum qui sua potestate abutuntur: sed vt veritas primum obtineat locum, etiam si venia detur imbecillitati humanæ. Caput quidem & Dominus vxoris suæ tanquam corporis sui maritus est: Sed Deus & Magistratum & pastores super vtrumque constituit: ad quorum curam pertinet videre, ne infirmior sexus à potentiore patiatur iniuriam. Habent magistratus potestatem puniendi

niendi



niendi in maritis omnem scortationem  
coercere possunt, & ad officium cogere tã  
maritos quam vxores, & punire desertionẽ  
coniugis, quisquis desertor siue mariti vxor  
siue vir vxoris fuerit: infirmitati & innocẽ-  
tiã eorum qui patiuntur iniuriam, & præ-  
ter suum meritum coniuges destituuntur  
solatio, consulere quãtum licet debent: aut  
indulgento minus malum (quod semper  
sapientis fuit habitum) vt maius vitetur, aut  
puniendo effrenem libidinem quẽ pudici-  
tiã fines transgreditur.

Iura Romanorum Pontificum matri-  
monij leges valdè perplexas reddiderunt,  
& miserandum in modum conscientijs in-  
iecerunt mille laqueos, dum sibi quiduis in  
ea re fas esse iudicarunt, augendo gradus  
consanguinitatis intra quos matrimonium  
contrahere fas: nefasue esset, prout ipsis li-  
bitum fuit. Quibus insuper præter eos quos  
aut naturæ aut Dei lex tradidit novos co-  
gnationis vel affinitatis spiritualis gradus  
adiecerunt: ex quibus noua incestus gene-  
ra nata sunt. Mitto interdictiones matri-  
monij, quibuscunque ipsis placuit, vt pres-  
byteris Episcopis Diaconis aliisq; qui Deo  
vouerunt continẽtiam: quibus dispensan-  
dis & moderandis magnum quæstum fa-  
ciunt. Quis recenseat sacrilegam temerita-  
tem & audaciam, qua iura diuina & huma-

H

na,



na, ab vno mortali miscetur? destruunt quod modo ædificant, & quod deiecerant, rursus erigunt, dum negāt modo viro modo vxori, ob quosdam incestus exigere fas esse debitum, nō autem reddere exactum. Et qui post legitima diuortia secundas nuptias negant se paratis, eas concedunt quibus volunt, & quando volunt. Alexander tertius hoc modo rescribit 32. q. 7. *Quod proposuisti, si mulier infirmitate corporis non valuerit debitum viro reddere, quid eius faciat iugalis? bonum esset si sic permaneret, ut abstinentiæ vacaret: sed hoc magnorum est, ille qui se non poterit continere, nubat magis: non tamen subsidij opem subtrahat ab illa, quam infirmitas impedit, non detestabilis culpa excludit.* Quid verisimile est hunc Romanum Episcopum fuisse responsurum, si casus adulteræ propositus ei fuisset? Certè quantum licet coniiicere facile secundas nuptias marito concessisset, qui decretum suum his verbis clausit. Non tamen subsidij opem subtrahat ab illa quam infirmitas impedit, non detestabilis culpa excludit, nimirum qui subsidium indicabat adulteræ repudiatæ ob detestabilem culpam à marito qui secundæ iunctus esset vxori, potuisse subtrahi. Sed errasse in hoc decreto qui errare nō posse prædicatur Romanus Episcopus, cōtrariis pluribus aliorū eiusdem sedis Episcoporum decretis cōuincitur.

Quid



Quid interim fiet miseris mulieribus, quæ siue apud Ecelesiasticum iudicem siue Magistratum ciuilem queruntur de violatione thori, & mala tractatione: utpote quæ maritum habeat qui meretricum infano feratur amore, & lue venerea infectum, apud quem nec tutò habitare possit, absque vitæ periculo? Vlciscantur tã Episcopi quã Magistratus qua possunt ratione has iniurias: defendant innocentiam. Quomodo? meum præscribere non est, modo nihil cõtra diuinas matrimonij leges decernant, diuortiu si diuortium appellare libet à thoro & mensa concedant. Vltèrius enim progredi ad secundas nuptias nõ licere docuisse me arbitror. Deseruit vxorem maritus, aut vxor maritũ, nullo religionis odio: pares enim fideles sunt. Quid? donec de alterius coniugis morte constet nuptias nouas non admittendas censeo. Fungatur suo officio Magistratus: si reus in ipsorum sit potestate tempus & modũ & multas statuãt. Pastores Ecclesiæ censuris coniuges ad officium compellant. Sed quamdiu viuere constabit desertorem non sunt licitæ meo iudicio nuptiæ nisi vxoris intercedat adulterium quo vir liberabitur. Quid faciet desertus vel deserta si se continere nequeat? Quid faceret si captus ab hoste maritus esset, & abductus in seruitutem, vnde redimi



non posset? Innumeri sunt casus: quibus coniuges diuelluntur ab inuicē. Sæpe continentia necessitatem Deus imponit coniugibus in orbi vsu coniugis nō raro impedit vxor si fiat venefica & dæmonū cultrix, si hostis patriæ, & propter maleficia profuga: & si maritus sit latro vel pyrata, proditor patriæ, vel propter maleficia exul, vel damnatus ad triremes, & vxor domi cū prole & domesticis curis aliisq; varijs modis implicata, vt virum exulem & improbū sequi nequeat aut fortè non debeat. Quid tunc fiet? propter crimina non sunt licita diuortia.

Iure ciuili dirimitur matrimonium diuortio, morte captiuitate vel contingente seruitute alterius coniugum. Iure diuino autem sola morte & vxoris adulterio. Et in cod. de Repudiis & Iudicio quatuordecim recensentur causæ ob quas Imperatores Theodosius & Valentinianus parè diuortij potestatem vtrique coniugi concedunt. Episcopos non intercessisse mirum est, magna tunc erat eorum authoritas: nisi fortè sit quod suspicor, quod Episcopi crediderint illam legem ad Christianos non pertinere, sed Gentilibus quorū adhuc magnus erat numerus, esse latam. De Christianorū matrimoniis Ecclesiarum præsules iudicabant ex verbo Dei & Patrum constitutionibus,



nibus, Præsides prouinciarum quosuis alios ex Iure Imperatorio.

Tamen quedam Concilia huc interdum inclinasse videntur. Ex Concilio apud Vermerias insertum est in Decretis à Gratiano hoc decretum. *Si qua mulier in mortem mariti sui cum aliis consenserit, & ipse vir aliquem illorū se defendēdo occiderit de facto probare potest ille vir eam ream esse cōsiliij, potest & ut nobis videtur ipsam uxorem dimittere et si voluerit aliam ducere. Ipsa autem insidiatrix pœnitentiæ subiecta absque spe cōiugij maneat.* Patres illi extra causam adulterij diuortium cum vxore facere quæ viro mortem machinata erat, & aliam ducere uxorem concedunt. Cur non mulieri cuius vitam appetuisset maritus, non debeat idem permitti, quando de verbo Dei dispensandi nobis potestatem adsumimus, ego causam nullam video. Propendere in hanc sententiam Epiphanius videtur contra Catharos. Locum citabo vt à clarissimo viro D. Theodoro Beza restitutus est.

*Separatione facta alicuius occasionis gratia, puta scortationis, siue adulterij, & malæ alicuius causæ, diuinus sermo non accusat, neq; ab Ecclesia & vita excludit eum qui alteri vxori fuerit coniunctus aut uxorem alteri viro nuptam, sed eius imbecilitatem tollerat: non ita tamen vt duas uxores, altera adhuc superstite retineat: sed si ab vna se iunctus cum alia legitima fuerit coniunctus, misere-*



*ratureum sanctus Sermo, & sancta Dei Ecclesia, præsertim si eiusmodi quispiam aliqui fuerit Dei timens & ex lege diuina in Ecclesia versatus.*

Non probo in Epiphanio quod ait *ἐν ἀπατος ὁ θεῖος λόγος*, accusat enim damnatq; diuinus sermo secundas nuptias extra causam adulterij capitalis: & idcirco Cōcilium apud Vermerias concedendo secundā uxorem viro, cui mortem molita erat vxor, addidit, vt nobis videtur: quia nihil constabat de adulterio, quamuis vehemens esset suspicio malam mulierē, alterius viri amore odisse quem habebat. Sed interdū quod Ecclesia indulget maioris causæ vitæ mali, diuinæq; misericordiæ cōmittit, non tam probat quam fert. Quapropter mihi Origines magis probatur qui suo tempore quid à quibusdā Episcopis fieret narrat in Matt. tract. 7. Scio enim quosdam qui præsumunt Ecclesiis, extra scripturam permississe aliquam nubere, viro priori viuente & contra scripturam quidem fecerunt dicentem, *Mulier ligata est quanto tempore viuit vir eius. Item viuente viro adultera vocabitur si facta fuerit alterius viri.* Non tamē omnino sine causâ hoc permiserunt: forsitan enim propter huiusmodi infirmitatem incontinentium hominum, priorum comparatione quæ mala sunt, permiserunt aduersus ea quæ ab initio fuerāt scripta. Nō dubium est plures illius ætatis idem passim factitasse Episcopos. Si Alexander quem



quē supra citavi hac ἐπιχειρία vsus est: & non quid apud Deum liceret, sed quid tollerari posset respondit: non mihi admodum vituperandus videtur. Non probo stoicā severitatem quæ peccatorum nullum discrimē nouit. Prestat peccatum vbicunq; peccatur fateri quam excusare, & ad eam rem verbo Dei vim facere. Quādo grauius peccatum metuitur, vt illud videtur, licitè minus pmittitur. Quib. persuasum est omnia siuè in Ecclesia siue, in Republica rescari mala posse, nihilq; tollerare & illud esse mala facere vt bona fiant, coguntur quod peius, multa peccata excusare. Ego melius esse iudico de veritate peccati homines doceri, ne semper libeat quod apud homines licet, vt si labi humanitus contigerit, peccatū nemo excuset sed deploret quam id frustra conari, quod ab hominibus obtineri non poterit.

Quia verò mihi propositum non est, omnia quæ ad hanc cōtrouersiam pertinent persequi, hīc ego finiam: hæc enim pauca sufficiunt ad difficultatis explicationem quam mihi proposui.

F I N I S.



FRANCOFVRTI  
AD MOENVM, SVMP-  
TVS ET TYPIS, HÆREDVM ROMA-  
NI BEATI, M. GEORGII BEATI,  
& Ioann. Ludouici Bit-  
schij.




Anno Christi


---

M. D. C. I.











36  $\frac{14}{K, 29}$

AB 36  $\frac{14}{K, 29}$


(x 261 2970)

Wart









2

DISPUTATIO  
DE  
RE DIVOR-  
II, QVOD MARI-  
S HABET PROPRIVM  
ET PECVLIARE ADVL-  
terij caussa:

*VA OMNIA, QVÆ AD HANC  
am referri possunt, dilucidè, copiose, & per-  
xplicantur, exemplis illustrantur, & au-  
tatibus Sacræ Scripturæ, Iurisq; Canoni-  
ci, & Ciuilis, comprobantur, &  
confirmantur.*

AVTHORE  
Magnifico ac Nobili I.C. Liborio à  
Bodenstain.

LVS TAM THEOLOGIS, QVAM  
nfultris, ob egregiam quam continet doctrinam  
erutilis, ac propè necessarius, nunc primùm  
in lucem editus.



FRANCOVRTI,  
*umptibus Heredum Romani Beati.*